AZ.
III

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXV
E
106
NAPOLI

[illegible]

Digitized by Google

Theol: Scolast.
~~Caxon 56 Num 23~~
Inf
Scanna P. num 2 libro 36
Sig. 15

PETRI BERTI COMMONEFACTIO DUPLEX:

I. De modo diſputandi Veterum, Philoſophis digno, hodie collapſo, & revocando.

II. De rectâ ratione in controverſiis Theologicis dijudicandi.

CONSIDERATA

per

IGNATIUM HELSTERNETONUM ANGLUM:

Et curâ

M. LUDOVICI L...,
Profeſſoris Baſil...is,
edita.

BASILEAE,
Typis IOHANNIS SCHRO...

M. DC. XVI.

NEAPOLIS + BIBLIOTHEC. CAPUCCINORUM. CONCEPTIONIS.
BIB. NOV.
Cong.nis Capuccinorum Neap.
Bibliothecae Novae

Viro

Pietate ac Virtute

præſtantiſſimo;

D. CHRISTOPHORO DANONIO;

Civi Baſilienſi

ſpectatiſſimo;

Domino ac Fautori

honoratiſsimo;

Hanc,

De Philoſophicâ diſputandi, rectâq;

in controverſiis Theologicis

dijudicandi, ra-

tione,

Diſſertationem,

In

Literariæ oblectationis monumentum,

gratique ſimul & amici affectûs

redhoſtimentum,

dicat

M. LUDOVICUS LUCIUS.

CEdro digna vox eſt P. Bertii, in *admonitione ad Lectorem*, præfixâ *Apologetico ad Belgas, contra Johannem Piſcatorem, Theologum Herbornenſem* rationem reddentis querelæ ſuæ, *de collapsâ veteri & Philoſophis dignâ diſputandi conſuetudine. Vix*, inquit, *hodie in rerum pondera inſpicitur: &, prout quisq; verboſiſſimus eſt aut clamoſiſſimus: ita vulgò creditur, & doctiſſimus, & certiſſimus veritatis auctor.* Quadrat enim hęc, non tantùm in aliorum de alienis ſcriptis judicia vulgi; ſed etiam in ipſiusmet de ſuis; quæ multa, de controverſiis Theologicis, à paucis expedivit annis. Quâ de causâ etiam præfixit Apologetico illi ſuo hanc Commonefactionem: etſi parùm, aut nihilo magis ad illũ, quàm ad alia ſua contra alios ſcripta; facientem.

Quò igitur omnibus, atque adeò ipſimet etiam pateat; quàm parũ philoſophici, aut viro docto (quem aliâs ſe habet ipſe, & ab aliis haberi vult) digni, ſit in commonefactione illa; indeque etiam de cæteris ipſius faciliùs

Digitized by Google

1. Proœmium. judicetur: ſingula illius percurram ordine; facto initio à Propoſitione bipartitâ, ejusque ratione: & ſinè lenociniis verborũ; ne pari paſſu cum ipſo ambulare velle videar.

1. Propoſitio. Propoſitio illius eſt hæc. *Priusquam*, inquit, *Lector, ad diſputationem noſtram cum D. Piſcatore accedas; de duobus monendus es: de modo diſputandi; deq́; rectâ ratione in controverſiis Theologicis dijudicandi.* Obſcurè ſatis. Quis enim intelligat, niſi ex ratione ſubjectâ, agi ab ipſo, non de modo univerſo; quem tamen mox, in ſpecierum diſtinctione, aſſumet: ſed de certo tantùm; nempe Philoſophis digno, ſeu demonſtrativo: quippe de quo ratio ſubjecta eſt; & quidem in materiâ Theologicâ?

2. Ratio. Neque tamen etiam *ratio* datur de utrâque parte propoſitâ; ſed de priore tantùm. *Videtur namque mihi*, inquit, *inter tot præclara ſeculi noſtri ornamenta, collapſa eſſe vetus illa, & Philoſophis digna, diſputandi conſuetudo.* Et hoc dubiè ſatis: ſi detur maximè, idq́; fortè ex 1 Elenchor. 2. (ubi quatuor enumerãtur gene-

genera τῶν ἐν τῷ διαλέγεσθαι λόγων) etiam Philoſophi, & non potiùs Dialectici eſſe, diſputare. Non enim liquet, putétne, inter collapſa ſeculi noſtri ornamenta, eſſe veterem quoque diſputandi conſuetudinẽ; an, illis manentibus, iſtam collapſam eſſe? Utrumvis autem dicat, falſum dicit; *eam ſeculo noſtro collapſam eſſe*. id quod ipſe mox etiã negabit. Ecquænam autem illa fuit Veterum diſputandi conſuetudo?

Sequitur in ratione. *Quâ difficilimis quibusq;, & maximè intricatis rebus, nõ aliter atq; rationibus arithmeticis confuſis perplexisq;, Methodo quâdam finis imponebatur.* Hujus tamen ratione, judicium ſpectatur, quod in ſententiâ initiò dictâ ſubjungitur: *Vix enim hodie* (quaſi id novum eſſet; & non multis ſeculis obſervatum!) *in pondera rerum inſpicitur; ſed, prout quisque verboſiſſimus, &c.* Quid autem eſt, *finem rebus imponere?* Methodo ſiquidem diſputandi, vel potiùs docendi, demonſtrativâ Philoſophorum, non finis imponitur rebus; ſed difficultati, dubitationi, vel

Digitized by Google

ignorationi earum: nec ubique ſed apud capaces dũtaxat. Scientia enim,
„ quæ per illam comparatur apud *per-*
„ *fectos*, (ut Apoſtolus loquitur *1 Cor.2. v.6.*) vel (ut idem *Hebr.5.v.14.* explicat)
„ *qui*, διὰ τὴν ἕξιν, τὰ αἰσθητήρια γεγυμνα-
„ σμένα habent, πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ, facit ἀμετάπτωτον. quemadmodũ
„ Juramentum hominibus eſt πέρας πά-
„ σης ἀντιλογίας εἰς βεβαίωσιν; (*Hebr.6.v.16.*) etiam citra *rerum pondera*: niſi hæc generaliùs accipiamus; utì decet, quando ea *rebus Theologicis* tribuimus, ex teſtimonio divino, mentiri neſcio. *ibid. v.18.* Sed quid hæc ad Philoſophos? Quo de iterum ſuo loco.

Nunc rectè *Res* opponuntur *Verbis*, res ſignificantibus ex arbitrio noſtro. Rerum enim ſcientia eſt, & veritas: Verborum non itèm, niſi quà rebus concordant; ſive in doctrinâ, ſive in judicio. De quo poſteriore iſte pergit, aliena dictis admiſcendo. *Ex multiloquio*, inquit, *æſtimatur victoria*. Quid autem *victoria* ad ſcientiam aut διδασκαλίαν? Victoria certamẽ cum altero

præ-

præſupponit: non itèm διδασκαλία ſcientiarum, petens demõſtrationem ex re-ipsâ; ſive aſſentiatur Diſcipulus, ſive non. Quâ de causâ, ſæpenumerò etiam docendus is eſt de principiis: aut, ſi doceri nõ poſſit, hypotheſibus conveniendus. Unde illud dictum; *Diſcentem credere oportet.* 1 Elenchor. 2. ,, Alioqui Doctor pergere non poteſt: non magis, ac Dialecticus aut Sophiſta, ſinè aſſenſu & opinione ſui antagoniſtę, quẽ vincere conatur: ille quidem, per fas; hic autem, per nefas: utì ipſemet inferiùs agnoſcet.

Quòd autem pravum ſit de rebus judicium, (eadem quoque eſt Victoriæ ratio. Eſt enim & hæc, vel vera, vel apparens; juſta, vel injuſta: ſecundùm Ariſtotelem, loco infrà allegato) ſive ex verbis, ſive ex multiloquio; quibus pondus nullũ ineſt, niſi reſpondeant rebus, & quidem infallibiliter: confirmat hic ratione iſtâ parùm aptâ: *Cùm plerunq; verecundam, & modeſtam eruditionẽ, ſoleat imperitia, verborũ agmine ſuperare.* Cur enim non ſemper? Im-

peritia verboſa, apud indoctos, ſemper ſuperat verecũdam & modeſtam, h.e. non-verboſam, eruditionem: ut habet ſententia initiò laudata. Neq; tamen imperitia ſemper verboſa eſt; aut eruditio non-verboſa. Id autem ferè contingit, ut, quò plus eſt verborum; eò minus ſubſit eruditionis: etſi vulgus, cujus plurima pars eſt, utì doctorum pauciſſima, contrà judicet: eò quòd in res ipſas intellectu penetrare nequeat, & verbis duntaxat, ut hamo piſces, capi ſe patiatur. Atq; hæc de Propoſitione, illiusq; ratione. Sequitur Commonefactio ipſa.

I.

DE MODO DISPUTANDI Veterum revocando.

II. Commonefactionis pars prior.

PRiùs, quàm veniat ad illum *Veterum diſputandi modum*, quaſi *collapſũ hodie*, (utì falsò queritur) ideoque *revocandum:* diſtinguendas cenſet *Diſputationum ſpecies*. Sic namque pergit: *Ut ergo veterem illum morem & conſuetudinem bono publico revocemus; diſtinguendæ*

dæ ſunt, ante omnia, diſputationum ſpecies. Quid verò diſtinctione opus eſt? Num *revocatio* fieri vel nō poteſt, vel non *bono publico*, niſi illa præmittatur? Nihil ejusmodi inveniemus, veſtigia ſpecierum prementes, non veterum, ſed hodiernarum: fruſtra, ſi, quæ inquiritur, hodie collapſa periit; ut hic dicit. *I. Diſputationum ſpecies.*

1\. Affert autem Diſputationum duos fontes; alterumq; alteri æſtimatione præfert. *Sunt autem*, inquit, *eæ ex intentione potiùs diſputātis, quàm ex formâ externâ orationis, æſtimādæ.* Quid verò hoc eſt aliud, quàm quod dictū eſt etiam antea? æſtimandam potiùs bonam ex rei veritate, quæ ſpectatur & attingitur à doctis; quàm ex verbis, quæ ſpectat vulgus. Verba quidem certè opponebantur rebus antea; & poſtponebantur. *Ex finibus.*

Neque ratio, quæ affertur, propoſitum probat. *Qualis enim*, inquit, *eſt cujusq; finis; talem oportet cenſeri eum, qui disſerit.* Annon talem quoque cenſere oportet; qualis eſt cujusq; externa oratio? Neq; enim qualitas diſputantis *1. Ratio, cur?*

Digitized by Google

magis ex fine pendet, quàm ex formâ orationis externâ. eò quòd, quemadmodum, pro fine differentis, dico eum ſapientem, Philoſophum, Dialecticū, Sophiſtam, &c. ſic quoq;, pro formâ orationis externâ, diſertum, elegantem, gratum; ingratum, ſterilem, &c. diſputatorem. Quinetiam forma illa externa orationis, non rarò in finibus eſt. Reperias namq;, qui id unicè agant, ut ſint ac videantur elegantes: uti qui materias infames tractant, e. g. Eraſmus μωρίαν, &c. Quid autem tractare eſt aliud, quàm diſputare? Quâ

2. *Quot fines.*

de causâ mox ipſe, ex finibus quatuor Tractatorum, totidē etiam Tractationum genera cōcludet: ſed alia, quàm Ariſtoteles, 1 Elench. 10. τῶν λόγων.

Tractatores quatuor.

1. ἐριστικός. De Tractatorum igitur ſeu Diſputatorum primo, ſic ait: *Eſt, qui hoc unum agit, ut vincat: nec tam de veritate ſolicitus eſt, quàm de ſuâ gloriâ.* Inepté. Hoc ſiquidem illud evertit. Nam, qui *non tam ſolicitus eſt*, eſt quidem ille quoq; ſolicitus, quantúmvis minús. Quòd-ſi hoc: non *unum hoc agit, ut vincat:* tametſi for-

taſſis

taſſis præcipuè hoc agat. Qui veritatem verè ſpectat, ſive ex veteribus, ſive recentioribus: is non ſolùm ſpectat, ut concluſio ſit vera; ſed etiam ut argumenta. Illo modo ſpectare debet Dialecticus & Orator: (neq; enim falſa perſuadere oportet; licet hæc quoq; facultas adſit: quoniam uterq; etiam ex προαιρέσεως bona æſtimatur; uti Sophiſta contrà ex malâ. 1 Rhet. 1. & 1 Elench. 2.) quibus ſufficiunt argumenta ἔνδοξα καὶ πιθανὰ reverâ talia. His autem accidit, vera aut falſa eſſe. Qui verò *hoc unum agunt, ut vincant*: iis ſufficiunt ſyllogiſmi probationesque apparenter probabiles; licèt reverâ tales non ſint. Hos Ariſtoteles ἐριστικοὺς dicit, 1 Top. 1. & 1 Elen. 2. & 10. & alibi paſſim. Quòd ſi iſti etiam hoc faciunt, ut ſapientes videantur, cùm nō ſint; idq; lucri gratiâ; *Sophiſtæ* appellantur; 1 Elen. 2. quãtúmvis etiam vera ſit horum concluſio. 1 Elench. 10.

De utriſq; rectè hic ſubdit: *In hoc genere quotquot occupantur, (occupantur autem noſtro ſeculo permulti.* neq; tamē magis,

giſ,quàm olim)*indigni ſunt omnes nomine Sapientum.* Fucata namq; eſt eorum ſapientia,& victoria injuſta,ibid. Sed malè cauſam,quaſi duplicem, ſubnectit:*Non eò tantùm,quòd diſputationũ leges pervertunt;ſed etiam, quòd divina oracula torquent, ad gloriæ ſuæ aucupiũ.* Iſtud nãq; cõtinetur in illo.Generalis quippe,in veſtigandâ veritate, ſive cœleſti, ſive mũdanâ, eſt diſputandi lex: Nihil eſſe torquendũ ad gloriæ ſuæ aucupium; (Sophiſticum enim id eſt; ſi fiat lucri causâ:*ἐριστικὸν*; ſi victoriæ. 1 Elench.10.) ſed ſecudùm naturam ſuam, Auditorumq; captum,quidque uſurpandum & tractandum eſſe: ideoq; etiam oracula divina.Neq; verò,*ſeria Domini reprehenſio*, (Joh.5. v.44. *Quomodo poteſtis vos credere,gloriam à vobis invicem accipientes?*) eſt adverſùs iſtos: ſed eos, qui, cùm accipere debuiſſent illam à ſolo Deo, ejusq; legato, v.38. & verbo dei ipſo teſtante; v.39. hoc neglecto, v.40. accipiebant ab hominibus, nempe ſeipſis invicem: fortean,ne,utì credẽtes illi, qui non profitebantur propter

Pha-

Phariſæos, ejicerentur è ſynagogâ. In iſtis autem fortè fuerunt, nō quidem illi, qui *Chriſtū prædicabant per invidiam & contentionem*: Phil. 1. v. 15. (hos namq; ſuffert Apoſtolus, v. 18.) ſed qui σεσοφισμένους μύθους afferebant; 2 Petr. 1. v. 16. aut πλαστοῖς λόγοις alios negotiabantur; 2 Petr. 2. v. 3. aut pietatem quæſtū eſſe exiſtimabant. 1 Tim. 6. v. 5. idq; ex propoſito. Nam, qui ex ignorantiâ iſtud facerēt; veniam mererentur: utì etiam perſecutores Chriſti; Actor. 3. v. 17.

Atq; hoc unū genus eſt, pro aliâ atq; aliâ ratione, σοφιστικὸν, aut ἐριστικόν. Nāq; λόγος ὁ αὐτὸς ἔσται, σοφιστικὸς, καὶ ἐριστικὸς· ἀλλ' οὐ κατὰ ταὐτὸ, ἀλλ' ἡ μὲν νίκης φαινομένης, ἐριστικὸς· ἡ δὲ σοφίας, σοφιστικός. inquit Ariſtoteles, 1 Elench. 10.

Alterum genus ita deſcribitur: *Sunt, qui certo ſedere in veritatē divinam placidè inquirunt, ad eamq́; cuncta referunt, parati juxtà docere & diſcere. h. e. locum poſcere vel dare veritati.* Quid eſt, *certo ſedere inquirere?* Si finis eſt veritas: & *certum ſedus* eſt, alia media non eligere, niſi quæ ad eam inveniendam propagandamque faciunt: 2. γυμναστικός.

faciunt: (iſtud namque eſt, docere & diſcere. cui, explicationis gratiâ, malè ſubjicitur obſcurius; *locum poſcere & dare veritati*) quomodo jam differet γυμναστικὸς (itâ nāq; hoc genus dicet: cùm cæterorum nullum eſſe poſſit) à διδασκαλικῷ & διαλεκτικῷ? Ariſtoteles, inter cæteras utilitates methodi dialecticę, refert etiam γυμνασίαν: 1 Top. 2, *eò quòd* " *hanc habentes faciliùs poterimus de propoſito aliquo* ἐπιχειρεῖν. Quantò magis id poterimus; ſi, quod fieri ſolet, habitum comparaverimus τῇ γυμνασίᾳ. Eſt ſiquidem methodus, modus tantùm ipſius " habitûs. *Corporalis hæc eſt exercitatio* Apoſtolo, 1 Tim. 4. v. 7. ad differentiam ſpiritualis; ad quam ibi exhortatur, aſſumtâ comparatione utilitatis utriuſq; imparis: quòd *conferat, illa quidem, ad hanc tantùm vitā; iſta cōtrà ad utramq;, præſentem & futuram*. v. 8. Oportet autē, magiſtrum ac judicem boni & mali, exercitatos ſenſus habere per habitū: Hebr. 5. v. 12, 14. quò, ritè docendo, ſeipſum & alios ſervet. 1 Tim. 4. v. 16.

3. πειραστικός.

De tertio itâ inquit: *Sunt etiam, qui ſciſcitan-*

ſciſcitando rogandoq́; non id aſſequi volunt: ut doceant: ſed ut intelligant, an is, qui ſe ſcire aliquid profitetur, re-ipsâ illud intelligat. An verò hoc non eſt ſe-ipſum docere? Id quod in doctore requirit Apoſtolus, Rom.2.v.21. Quare hoc genus coincidit cũ quarto διδασκαλικῷ. Non etiam ſic Ariſtoteles; verùm ità: τὸ φάναι καὶ ἀποφάναι ἀξιοῦν, οὐ δεικνύντος ἐστὶν, ἀλλὰ πεῖραν λαμβάνοντος. ἡ γὰρ πειραστικὴ, ἐστὶ διαλεκτική τις. διὸ καὶ περὶ πάντων ἐπισκοπεῖ, καὶ θεωρεῖ, οὐ τὸν εἰδότα, ἀλλὰ τὸν ἀγνοοῦντα, καὶ προσποιούμενον. 1 Elench.10. Et cap.2. πειραστικοὶ (λόγοι) οἱ ἐκ τῶν δοκούντων τῷ ἀποκρινομένῳ, καὶ ἀναγκαίων εἰδέναι τῷ προσποιουμένῳ ἔχειν ἐπιστήμην. Ariſtotelis ergo πειραστὴς, cùm ſit Dialecticus quidam; facit, ut is, qui profitetur ſe aliquid ſcire, quod reverâ neſcit, ſed ſimulat, intelligat ſe nihil ſcire: & facit, idque neceſſariò, ex iis, quæ ipſi videntur. Hoc enim jam eſt dialecticum.

In aliâ tamen ſignificatione accipitur, fateor; quando, reſpectu Philoſophi, Dialecticam facit πειραστικήν. Differentiam enim monſtrans in δυνάμει,

νάμει, 3 Metaph. 2. inquit: ἐστὶ δὲ διαλεκτικὴ πειραστικὴ, περὶ ὧν ἡ φιλοσοφία γνωριστική. An etiam πειραστὴς ille, conatur tantùm demonſtrare; reverâ autẽ non demonſtrat, inſcitiam alicujus: quia utitur, nõ apodicticis, ſed dialecticis argumentis? Conatus hic fuit quoque in hoſtibus Chriſti: quib. ta-
" men evẽtus, ut in dialecticis fit, nõ re-
" ſpondit. Nõ certè *Diabolo*, Matt. 4. v.11.
" *tentanti Chriſtum* ſimiliter ex ipſi cõfeſ-
" ſis; v. 3, 6. ſed ad malum. ad quod *illa-*
" *queare Chriſtum conabantur quoq; Phariſæi*
" *tentatores*, Matth. 22. v. 15, 18.

" Contrà *Chriſtus*; *interrogat Phariſæos de Chriſto*, bono fine. v. 42. Bonus itèm *Deo* finis erat propoſitus, in tentando
" Chriſto; quem & aſſecutus eſt: videli-
" cet, *probatum & victorem dare in his ten-*
" *tationibus*. Matth. 4. v. 1, 11. Jac. 1. v. 2, 3. *I-*
" *dem non ſinit fideles ſuos tentari ſupra id,*
" *quod poſſunt*: 1 Cor. 10. v. 13. *qui & dat poſſe*
" *ſufferre*; ibid. & *novit pios è tentationibus*
" *eripere*. 2 Petr. 2. v. 9.

Tentati ergo *à Deo*, *probamur*, ut agnoſcamus infirmitatem noſtram: &

contrà Dei virtutem, victorię & emer-
ſionis noſtræ cauſam invictam, ob *tẽ-
tationem illam, deprecari* jubemur; Matt. »
6. v. 13. ac *propter hanc gaudere in variis tẽ-* »
tationibus. Jac. 1. v. 2, 3. Sed & jubemur »
tentare nosmet-ipſos: 2 Cor. 13. v. 5. *ut co-* »
gnoſcamus, an ſimus in fide. ibid. Sic jube- »
mur *probare ſpiritus*, *num ex Deo ſint:* »
1 Joh. 4. v. 1. ut, *ſi ſint, credamus eis; ſi non* »
ſint, non credamus. ibid. Ità deniq; *omnia* »
probare jubemur: ut *bonum,* quod repe- »
rimus *teneamus.* 1 Theſſ. 5. v. 19. Finis er- »
go *tentantium in ſermone,* non ſemper eſt
cognitio, nedum *propria, ſcientiæ alterius.*

Dei autem tentatio, quâ nos ipſum tentamus, ſemper mala eſt, & prohibita; ſive ſcientiæ, ſive potentiæ, ſive voluntatis ipſius. Act. 15. v. 10. 1 Cor. 10. v. 9. Exod. 14. v. 11. & 17. v. 2. Deut. 6. v. 16. Judith. 8. v. 11. Sic Chriſti: Mat. 16. v. 1. & 19. v. 3. & 22. v. 18, 35. 1 Cor. 10. v. 9. Et Spiritûs ſancti: Act. 5. v. 9. Eadem eſt ratio tentationis, quâ Diabolus nos tentat: quia tantùm ad malum; Matth. 26. v. 41. Act. 5. v. 3. ſive quoad finem, ſive quoad media.

4. διδασκαλικός. Reſtat quartum genus; de quo ait: *Deniq; ſunt, qui ex propriis orſi principiis rerum,*(an quia priores, vel ex communibus, vel opinionibus? verùm explicatio nõ quadravit; uti jam vidimus) *progrediuntur definiendo; dividendo, demonſtrando; quò eos cunq; ratio, & veræ diſciplinarum omniũ leges, deducunt.* Atqui hoc non eſt, finem; ſed modum, & quidem malè, explicare. Neq; enim principiis rerum opus eſt ad definiendum & dividendum; ſed tantùm ad demõſtrandum. In fine communi, conveniunt tria poſteriora genera; putà veritate: etſi in propriis differunt. Alia namq; eſt veritas tertii; quæ eſt dicti: alia quarti; quæ ſcientiarum theoreticarum. Utrobiq; tamẽ oratio reſpondet rei, cujus dicitur veritas. Ad dictũ etiam, ſuo modo refertur ſecundum genus. Ut enim, qui profitetur ſe ſcire, verè aut falsò profitetur; prout ſcientia profeſſa reſpondet, aut non reſpõdet: ità etiam, qui inquirit veritatem divinam, in verbo revelatam, aut aſſequitur eam, aut non; prout in eo verſatur

ſatur ἀποδεικτικῶς, ἢ διαλεκτικῶς; & vel verè, vel apparẽter. Aſſequitur enim, ſi ἀποδεικτικῶς. h.e. ex veris & primis; ſeu ortis quidem à primis, verè tamen, & non apparenter. Non aſſequitur, ſi διαλεκτικῶς. h.c. ἐξ ἐνδόξων, quámvis verè; ut Dialecticus, ſub quo & Orator: nedum apparenter tantùm; ut ἐριστικὸς & Sophiſta. Vide 1 Topic. 1. itèm 1 Elen. 2. & 10. ubi non ex finibus tantùm, utì 8 Top. 3. ſed etiam mediis ſeu argumẽtis, differentiam petit τῶν λόγων καὶ συλλογισμῶν: (*Tractationum* verò eadem eſt ratio: quippe quæ naſcuntur ex iſtis) & quatuor quidem enumerat genera; ſed alia, quàm Bertius Tractationum.

Tractationũ quatuor genera.

Ariſtoteles inquit, 1 Elench. 2. ἔστι δὴ τῶν ἐν τῷ διαλέγεσθαι λόγων γένη τέτταρα· διδασκαλικοὶ, καὶ διαλεκτικοὶ, καὶ πειραστικοὶ, καὶ ἐριστικοί.

At Bertius, pro διαλεκτικῷ, ponit γυμναστικὸν: qui ad ἐριστικὸν refertur ab Ariſtotele, ibidẽ dicente: περὶ μὲν οὖν διδασκαλικῶν καὶ ἀποδεικτικῶν, ἐν τοῖς ἀναλυτικοῖς εἴρηται· περὶ δὲ τῶν διαλεκτικῶν καὶ πειραστικῶν, ἐν τοῖς ἄλλοις (ſc. τοπικοῖς·) περὶ δὲ τῶν ἀγωνιστι-

κῶν καὶ ἐρ(ι)στικῶν, νῦν λέγωμεν. Atque hic unus fuit fons ſpecierum Diſputationis quatuor, ex finibus illorum.

2. *Ex formâ orationis externâ.* Jam cùm, ex propoſitione, etiam alterius fontis, *formæ* videlicet *orationis externæ*, (ità enim dixit: an quia finis prægreſſus eſt forma interna? Eſt ille quidem; ſed ratione mediorum. Talis ſiquidem finis, talia requirit media: & viciſſim, talib. datis mediis, talis quoque datur finis. E.g. propoſitâ ſimpliciter victoriâ, quævis ponuntur media. At non itèm, propoſitâ veritatis ſcientiâ. Hìc enim non ponuntur alia media, quàm apodictica: uti & viciſſim, his datis, non datur niſi veritatis ſcientia. quemadmodum, poſitis ἐνδόξοις, δόξα: & ſophiſticis, deceptio. idq; non ſolùm in divinis; ad quæ ſola deinceps fiet applicatio: ſed etiam humanis) ponendæ eſſent ſpecies; quò ſic intelligeretur, indè potiùs, quàm hinc, eas petendas eſſe, ad revocandã veterem diſputandi conſuetudinem: abit iſte ad *communitatem* ſeu *convenientiam* duplicem.

Prima

Prima eſt: *Utuntur*, inquit, *omnes*, *in tractatione rerum divinarum*, *communibus inſtrumentis duobus: uno, Logicæ; altero, Scripturæ ſacræ*. Verùm, nec eâdem notione iſta ſunt inſtrumenta: (aliter namq; Logica eſt; aliter Scriptura. Illa, τρόπον duntaxat ſcientiæ continet: hæc, ſcientiam ipſam; ſiquidem aliter conſideratur, quàm grãmaticè) neq; uſus utriusque eſt communis tantùm; ſed etiam proprius, ut finis. Communia ſũt in Logicis, Categoriæ & Priora analytica. His tamẽ utuntur tractatores, non κοινῶς tantùm; ſed etiã ἰδίως: διδασκαλικοὶ, utì traditur in Poſterioribus analyticis; πειραστικοὶ καὶ διαλεκτικοὶ, ut in Topicis; ἐριστικοὶ denique καὶ σοφιστικοὶ, ut in Sophiſticis elenchis. Et rectus hic dicitur uſus: quia conveniens regulæ; utì etiam in Grammaticis: ſive in divinis, ſive humanis. Sed præter hãc rectitudinem, (quam organicam appellare liceat: quia naturam regulæ ſuæ, quæ nil niſi ὄργανον eſt, ſpectat) eſt adhuc alia; cujus etiam alia eſt regula, videlicet res ipſæ. Namq; ut hæ diffe-

runt; ità quoq; tractatio illarum: etſi communẽ habeant Logicam, Grammaticam; & in divinis, Scripturã. Eſt enim, juxta Ariſtotelem, non tantùm παιδεία περὶ πᾶν; ſed etiam καθ' ἕκαστον μέρος. 1 Ethic. 3. Atque hinc in divinis
,, illa: πνευματικοῖς πνευματικὰ συγκρίνοντες.
,, 1 Corint. 2. v. 13. *Si quis loquitur, ut eloquia*
,, *Dei*. 1 Pet. 4. v. 11. Et hoc eſt ὀρθοτομεῖν τὸν λό-
,, γον τῆς ἀληθείας: 2 Tim. 2. v. 15. & *loqui my-*
,, *ſterium Chriſti, ut oportet*. Coloſ. 4. v. 4.

Hinc quoq; intelligitur altera convenientia, ſi modò à priore diverſa; de quâ ait: *Quo fit, ut, cùm fine & intentione plurimùm diſtent*; (putà, fine proprio. Communiter enim omnes, vel, ut ipſe poſtea dicet, *pleriq; veritatem ſuis diſputationibus obtendunt*. Quòd-ſi fine diſtāt: Ergo & mediis; quippe, ſinè quibus differentibus, finem proprium conſequi non poſſumus) *tamen, ob formæ externæ ſimilitudinem, difficilis* (imò impoſſibilis) *ſit de ipſis dijudicatio*. quaſi de hac jam ageretur; & non de quæſtione alterâ! Pergit autem: *Videntur enim interdum* (imò ſemper in communibus)

nibus) *eandem viam ingredi, qui toto ſcopa diſtant; & qui nihil minùs quærũt, quàm verum: tamẽ, quia veri ſtudium ſuis prætendunt contentionibus, creduntur etiam eſſe Philoſophi.* Cur non Theologi? Siquidem *de divinis* cœptum eſt agi. Sed à quibus creduntur? Ab ἀπαιδεύτοις, διὰ τὴν ἀπαιδευσίαν τῶν ἀναλυτικῶν. Neque enim, uti hic addit tantùm *confirmat hoc malum fovetq́, illa*, quæ malè dicitur *ſeculi noſtri communis error*: niſi de vulgo intelligatur, & citra differentiam Veterum. Quoties enim eadem ἀπαιδευσία veteribus exprobrata eſt ab Ariſtotele Philoſophis?

Sed quibus *error ille* verbis exponitur? *Cùm*, inquit, *docere, & demonſtrare, non niſi paucis hominibus divinitùs conceſſum ſit*; (ordinariè tamen, magis doctrinæ de Demonſtratione beneficio, quàm bonitatis naturæ aut gratiæ) *ſoleantq́ illi, qui id faciunt, ſedatè id facere, neq́ admodùm eſſe verboſi*, (eo videlicet modo, quo Sophiſtæ, Oratores, Dialectici. alioquin obſcuritas & difficultas rerum, præſertim apud rudio-

res aliquantò, verbis ſatìs indigent) *aut vehementes: tamen videas præferri hodie, utplurimùm,* τοὺς ἀγωνιζομένους, καὶ διαφιλονεικοῦντας, hoc eſt, *eos, qui, victoriæ ſtudio, gloriam veritati anteponunt.* Ità enim ineptè verba Ariſtotelis, 1 Elench. 3. de Eriſticis, hìc accipiuntur. Quid autem facit prælatio horum, ad confirmationem aut fomentationẽ iſtius mali? Tantum, quantum id, quod ex dictis infertur. 1. *Hinc ergo ortum ducit indomita illa quorundam pervicacia, qui ne millies quidem ſibi commonſtratum errorem volunt agnoſcere.* Quomodo enim poſſent illi ἀπαίδευτοι? Quídve etiam ad *velle* aut *poſſe* illorum faceret, non *præferre* ἀγωνιζομένους, *& gloriam* (ità enim hic δόξαν, quando *veritati* apud probatos authores opponitur, accipit; ſed malè: cùm etiam ſtudium victoriæ, ſit gloriæ; nõ itèm opinionis) *veritati anteponentes.* Quid etiam huc faciunt prava de iſtis vulgi judicia? de quibus hic ſubdit: *Hi ergo ſoli audiunt arguti, ſubtiles, diſerti, acres, invicti: quaſi pluris ſit, nulli cedere, quàm vere vinci.*

(Hoc

(Hoc enim quadrat in illos victoriæ ſtudioſos.) Quomodo ergo *pervicacia* cauſa eſſe poteſt; ſi ἀπαιδευσία eſt?

Idem ſentiendum de illatione hac ſecundâ: *Hinc impudens illa, & deteſtanda malitia, adfingendi aliis, quæ nunquam dicta ſunt; negandi, quæ conſtat reverâ dicta eſſe, vel ex dictis neceſſariò ſequi.* Neq; enim iſta ex ſuperioribus dependent: atque nos non minùs ea deteſtamur. Sed addimus; multa falsò dici demõſtrata, aut ſequi ex dictis neceſſarió. E. g. Lutherani accuſantur à Pontificiis, quaſi negent opera bona eſſe facienda, aut ea prohibeant: Et Piſcator à Commonefactore paſſim, quaſi *Deum faciat authorem peccati*, in eâ ſignificatione, quà id probroſum eſt Deo. Neque enim in omni eſt. Non certè, quà Deus condidit hominem; aut talem cõdidit, qui peccare poſſet. Non, quà legem illi fixit, ſinè quâ nulla fuiſſet prima illa trãsgreſſio. Rom.4.v.15. & 5.v.13. Non, quà non impedivit peccatum, cùm potuiſſet.

Quòd autem pergit: *Quis eſt, qui er-*

rorem hodie fateri audeat, & Deo gloriam dare? Si putet, neminem eſſe; fallitur hac malâ conſequentiâ: *Noſtri non fatentur, quà de Prædeſtinatione*; ergo nemo, nec quisquam ullibi. Quòd autẽ noſtri non fateantur ibi; cauſa eſt, quia nullus adhuc demonſtratus eſt error: certè nondum ità, ut nos agnoſcere poſſemus, errorem eſſe. Hoc ità demonſtrato, locum demum habet malitia & pervicacia.

Quid item queritur, niſi contra factionem ſuam? *In pugnam abiêre collationes; Scholæ in circum; Eccleſiæ in caveam; Theologi in gladiatores; amica fratrum, patrum, filiorum nomina, converſa in odioſas adverſariorum, inimicorum, hoſtium appellationes. Qui pacem ſuadet, audit proditor Eccleſiæ.* Veriſſimum tamen eſt Chriſti
„ illud: *Qui non eſt mecum, contra me eſt: &*
„ *qui non colligit mecum, diſpergit.* Matth. 12. v. 30. Eſt namq; ubi ſuadenda pax non
„ eſt. Ipſe *Chriſtus non venit mittere pacem.*
„ Matth. 10. v. 34.

Idem judicium eſt de ſequentibus. *Qui*, inquit, *in eo, qui cũ diſputat, aliquid con-*

concedit;(quod concedendum non eſt; niſi ut ex eo refutetur antagoniſta) *transfuga*, *& bonorum partium deſertor*, *audit*. Cur enim non? ſi concedat, v.g. præviſionem Dei eſſe ſignum tantùm rerum futurarum; & non cauſam. Duo namque ſic fierent rerum principia: & homo cauſa prima foret ſuę ſalutis; quæ tamen in ſolidum divinæ transſcribenda eſt gratiæ. Similiter, *qui in alienâ ſententiâ voculam omittit*, (quæ maximè ad rem facit: ſi ſtudiosè id faciat, ad illam præjudicio gravandam; cur is non audiret?) *calumniator.*

Atq; hæc de *ſpeciebus Diſputationum*. Ex quibus quisnam intelligat, veterem morem revocandum, qui propoſitus erat? Quâ de causâ ipſemet Bertius, miſſo fine, quippe communi, non re, ſed ore, confugit ad Leges laudatarum disquiſitionum: non ſic tamen, ut etiam indè veterē illam diſputandi rationem colligat, aut revocet. Neque enim id præſtat. Nos tamen & Leges iſtas paucis expendamus.

Priùs autem, quàm Leges illas pro- *Laudatarū disquiſitionū leges.*

ferat,cauſam præmittit,inquiens: *Cæterùm,quia plerią;* (vel potiùs,ut antea) *omnes, etiam cùm aliud ſectantur, veritatem ſuis diſputationibus obtendunt: videmur haud abs re facturi, ſi Leges quaſdam laudatarum diſquiſitionum illarum* (ſed ubi? neque enim laudavit in præcedentibus, niſi unam Veterū Philoſophis dignam; & quam collapſam eſt queſtus) *proponamus; & referamus ad eas, ea quæ inter nos & Piſcatorem nunc geruntur.* Quid autem opus eſt,poſt deſcriptiones jam allatas? Illæ ſiquidem monſtrare poſſunt libros, quibus quæque enumeratarum ab Ariſtotele ſit explicata. At fortean tales hic non afferet! Ità eſt. Non certè talis eſt prima è ſex: ſi modò rectè aſſecutus ſum numerū; quem mallem ab ipſomet propoſitū & diſtinctum fuiſſe. Singulas autem ſeorſim videamus; & in ipſis applicationem, ad Piſcatorem & ſeipſum.

Lex I. *Principiò*, inquit, *qui de Religione* (quaſi de hac ſolâ inſtituiſſet agere; & non in genere Leges laudatarum disquiſitionum promiſiſſet!) *cum altero collaturus*

turus eſt, (addere debuiſſet; *veritatis investigandæ ergó*. Ità namque & ſequentia poſtulant) *debet ſecum ad rem tantam adferre* φιλαλήθειαν, *ſtudiumq́; bonæ conſcientiæ: ut, cùm omnia veritati poſtpoſuerit, etiam famam ſuam; ſciat, ad hanc ipſam veritatem, non obliquè, aut per malarum artium anfractus, ſed viâ regiâ, perveniri oportere*. Non, inquam, *de Religione* tantùm eſt lex; ſed generalis: eaque non una; ſed multiplex, & malè connexa. Generalis: Quoniam non in Religione tantùm veritas eſt: neque tantùm alterutrius diſputantium; ſed etiam utriusque reſpectu. Neq; tamen etiam *conferens cum altero de Religione*, ſemper ſpectat veritatem. An non Chriſtus, interrogās Phariſęos invitos de Chriſto, cujúsnam filius eſſet; Matt. 22. v. 42. & reſponſionem illorum impugnans, v. 43, 44, 45. diſſerebat de Religione? nec tamen ſpectabat veritatem: alioqui dubiũ, quod moverat, exemiſſet. Nimirum confundere illos voluit: quippe profitentes, ſe habere ſcientiam rerum divinarum, præſertim do-

ctrinæ de Meſſiâ; quam tamen reverâ non habebant. Peiraſtēn ergo Ariſtotelicum egit adversùs ipſos ibi; uti & ſæpiùs aliâs.

Eſt autem prima Legis iſtius pars, *de φιλαληθεία*, ſupervacanea. Si namq; finis eſt veritas: ſublato amore illius, omnis ceſſat diſputatio. Ideò namq; hæc ſuſcipitur; quia finis amatur, tanquam bonum quiddam: ſive per ſe, ſive propter aliud. Illo modo, Chriſtianus eſt disputator: hoc, non eſt.

Altera etiam pars, *de ſtudio bonæ conſcientiæ*, ad officium quidem Chriſtiani hominis & Philoſophi pertinet; ſed non ad disputatoris pro veritate facultatem. Eſt quidem ſtudium majus, ſi finis ſit, bonæ conſcientiæ conſervatio: (quia, ſicuti propter conſcientiam tenemur obœdire magiſtratui; Rom. 13. v. 5. ità quoque veritati ſtudere) abeſſe tamē poſſe illam à veritate, jam modò in exemplo Chriſti vidimus. Aliud ſiquidem eſt, loqui de facultate; aliud, de προαιρέσει. Dialecticus & Orator, facultatem habent Sophiſti-

phiſtices: προαίρεσιν autem, Sophiſtæ habent. Vir bonus, facultatem habet malè agendi; non itèm προαίρεσιν. Diſputator analyticus & dialecticus, facultatem habent inveſtigandę veritatis; eamque etiam inveſtigant, quisq; ſuo modo: etſi non ſemper *cauſâ conſcientiæ*; ſed lucri, v.g. aut gloriæ ſeu *famæ*, cujus etiam ſtudioſus eſt Sophiſta: ſed ibi, per ſapientiam; hîc, per opinionem; duntaxat apparentem paucis. Diſputator igitur *pro veritate*, conſideratur, aut ut diſputator, aut ut *Chriſtianus & Philoſophus*. Illo modo, facultas ſpectatur: hoc, etiam conſcientia; quæ negligit quoque *famam*, ſed vulgi tantùm. Facultas autem, includit viam: quæ ſeu recta eſt; ſeu obliqua: *prava* fortaſſis nulla, niſi per media prava; ut in Sophiſticis. Recta via, eſt in Analyticis: obliqua, in Topicis.

Sed quid eſt, quod hanc legem ſuadeat? Num quod ſequitur? *Hoc qui faciet; minus erit in differendo δύσκολος, minùs φορτικός.* Si minùs: erit igitur ali-

quatenus. quod ipſum jam eſt in vitio quoque, uti Ariſtoteles vult, Reſpondentis ſaltèm: 8 Topic.9. poſitâ præſertim φιλαληθείᾳ tantâ; aut conſcientiâ. Quid verò eſt, quod etiam hoc ſuadeat: *in diſputatione de Religione, neminem eſſe debere δύσκολον ἢ φορτικόν?* Sed Legislatorem agit noſter Bertius; nō oratorem aut disputatorem: quod indignum quoque eſt doctore ejusce materiæ. Atque hæc prima Lex eſt, à parte poſteriore recurrens in ſextâ; uti videbimus.

Applicatio. In applicatione, omiſsâ mentione ſui, tantùm *ſperat talem futurum Piſcatorem in iſtâ collatione; perſuaſus lege charitatis, & viri candore.* Et tamen mox variè illum eſt vellicaturus.

Lex II. Secundam Legem deſumit ex *metis diſputandi*, quas putat; de quibus in Sophiſticis Elenchis: in quibus tamen non ſpectatur veritas; ſed opinio: imò deceptio, ex apparente opinione. Atque, ùt priùs inſtruxerat Reſpondentem Ariſtoteles: ità quoque Interrogantem ſophiſticè, 1 Elench.3. monet, *Scopi Sophiſtarum.*

ſpe-

ſpectari à Sophiſtâ ἐν τοῖς λόγοις quinq; ſcopos. 1. ἔλεγχον. 2. ψεῦδος. 3. παράδοξον. 4. σολοικισμόν. 5. τὸ ποιῆσαι ἀδολεσχῆσαι τὸν προσδιαλεγόμενον. Bertius autem, commune etiam hîc facit legem: quę tamē non eſt utriusque diſputantis, interrogantis & reſpondentis; ſed interrogantis tantùm: neque interrogantis universè; ſed ſophiſticè duntaxat. Verba ſunt Ariſtotelis: πρῶτον δὲ ληπτέον, πόσων στοχάζονται οἱ ἐν τοῖς λόγοις ἀγωνιζόμενοι, καὶ διαφιλονεικοῦντες· εἰσὶ δὲ ταῦτα πέντε τὸν ἀριθμόν. &c. Bertii ſunt: *Cùm autem metæ ſint quædam diſputandi, ad quas qui adactus eſt, totiùs orcheſtræ judicio ſuccubuiſſe creditur; cogiturq; poſtea; ſi modò ingenuus haberi velit, & Philoſophi nomen tueri, converſâ velificatione, alium curſum inſtituere.* Quid eſt, Veterum mentem depravare; ſi hoc non eſt? Quid *orcheſtra* judicii habet in causâ Religionis; præſertim demonſtrativâ? quæ non pendet à judicio alio, quàm Sapientum, & proprio. Illorum judicio ſeſe etiam Paulus ſubjecit, 1 Cor. 10. v. 15. Hôc peccant *hæretici, poſt unam atq; al-*

„ *teram admonitionem*. Tit. 3. v. 11. Non autem referunt hi judicia ſua, ſiquidem apodictica eſſe debeãt, aliò, quàm ad rem, ſeu *falſum*. Ad Elenchum referre, eſt quidem etiam veritatem & falſitatem arguere; ſed indefinitè tantùm.
» Axioma namq; eſt; *Contradictionis par-*
» *tem unam eſſe veram, alteram falſam*: alioqui contradictio non eſt. Illud tamen nondum notum facit, utra pars ſit vera aut falſa, definité. Quantò minùs cæteri ſcopi hoc fecerint? Quocirca etiã hic prætermittit penultimũ ſcopũ, quaſi nõ præcipuum: cùm tamen par ſit ratio Solœciſmi & Nugationis.

Interim fateor, *eum, qui ſuopte etiam judicio ſuccubuit, ſi ingenuus*, tametſi non-Philoſophus, *haberi velit; conversâ velificatione, teneri alium curſum inſtituere*: etiam ob hanc ſubjectam rationem. *Præſtat enim* παλινδρομεῖν, ἢ κακῶς δραμεῖν, etiam non-Philoſophis. *Eſt ſanè viri boni*, (qui etiam eſſe poteſt non-Philoſophus) *ſimul atq; ſe ſentit* (talis autem maximè gnarus eſt captionum ſophiſticarum. Ignarus namque, putat tantùm

tùm ſe ſentire; cùm tamen nõ ſentiat: quoniã decipitur) *ad eas impegiſſe, errorem confiteri; vel apertâ culpæ agnitione, vel ſententiæ prioris deſertione: ac poſtea in veriores* (veras, dicendum) *partes, tanquam firmiores, concedere.* Cur autem nõ utrâq; ratione cõfiteri debet? ſi tamen culpa eſt, errare aliquãdo, aut erraſſe.

Sed quid dicit *de quatuor metis? In has, inquit, qui impingit, ſubmovetur diſputandi jure.* Atqui impingit, ex ſententiâ Sophiſtarum, cum quocunq; ipſis aliquid eſt negotii. Et πειραστὴς reverâ. Etiámne propterea is diſputandi jure ſubmovendus? Etiámne ſubmotio iſta, cum παλινδρομία cõſiſtere poteſt? Idem judicium eſt de eo, quod repetendo ſubjungit: *Et ſanè, qui vel ea ipſa evertit, quæ dixit; vel apertè falſa profiteri audet; vel contraria tueri receptis in Eccleſiâ ſententiis; vel in re ſeriâ delirantis in modum nugari: non par eſt, tali ſilentium ab omnibus imponi?* Neque enim par eſt, in eodem ſtadio; nedum diverſo. De eodem, modò eſt dictum in παλινδρομία. De diverſo autem, patebit ex ſequen-

tibus. Neque enim ſequitur: *Si in aliquo hic ſibi cõtradicit; Ergo in omnibus*. Eadem eſt cæterorum quoque ratio. Quanquam enim aliquid *præter opinionẽ* eſt; non tamen propterea falſum, aut rejiciendum eſt. Et *opiniones Eccleſiæ* de rebus mediis, h.e. verbo Dei non definitis, cõtradicenti ſilentium non imponunt: multò minùs falſæ.

Applicatio. Verùm quid hæc ad Piſcatorem? Quid ad ipſum; *Non videmus id manticæ, quod in tergo eſt?* Is verò hæc omnia quatuor peccata committit, ſcilicet.

1. *Elenchus.* Quomodo autem? *Elenchum*, inquit Bertius, *committit; ſeq; ipſe jugulat*. Eſto: quid propterea decedit cauſæ principi? Definiendum enim eſt, ac demonſtrandum, quâ parte elenchus veritati repugnet. Videamus autem Elenchũ. Hic pro uno dat plures: eoſque dividit, in *leviores*, & *majoris momenti*. Illorumque ponit duos. quos ſi dicit *leviores*: illi ergo, quorum reſpectu ſic dicit, *leves* fuerint; cùm tamen dicat *majoris momenti*. Num iſta Elenchum & Solœciſmum non ſapiunt? Nam, ſi

leves

leves ſunt: non momenti alicujus; ne*dum majoris. ſin alicujus, nedum majoris momenti: utiq; non ſunt leves. Quod-ſi autem hæc, reſpectibus fortè d verſis, excuſari poſsint: (cùm aliud ſit, ſimpliciter; & aliud, comparatè quidpiam loqui & intelligere) quid eſt, quòd reſpectus diverſi huic alibi non valent; ſed rejicientur ſimpliciter, in primo elencho majoris momẽti? Sed ambo genera videamus.

Ex *levioribus* hunc primum affert. *Quod*, inquit, *in meâ narratione culpat de Virgine, contenditq́ pluraliter referri debuiſſe; ipſe poſtea narrat ſingulariter.* Contendit ſuâ; narrat tuâ ſententiâ. Eſt'ne autem perinde, ex ſuâ aut alienâ ſententiâ loqui? Cave dixeris. Quare nec elenchum.

Ejusdem farinæ eſt, quod pro ſecũdo elencho profert. *Quod ſe negat ſcripſiſſe, imò verò per calumniam ſibi impingi queritur; ipſe fatetur, κατὰ διάνοιαν illis ipſis verbis, quæ citat, contineri.* Queritur contineri ſenſu Adverſarii calumnioſo; non fatetur ſuo. Calumnioſo, inquã.

ſiquidem Bertius ipſe mox, Apologiæ pag. 9. teſtatur: non de verbis, quæ in bonam & malam partem accipi poſſunt; ſed de ſenſu eorum, in malā partem acceptorum, intelligere Piſcatorem. Verba Bertii ſūt: *Voluit* (Piſcator) *fortè credulitati veſtræ perſuadere, me illiberaliter & fraudulenter, ut hunc tam impium ac profanum ſenſum, quem ipſe procuderam, ei impingerem, addidiſſe aliquid de meo.* Num, qui ſenſum alium à ſenſu authoris addit; de ſuo nihil addit: etiamſi totidem verba recenſeat? Senſus autem alius eſt; ſi putetur ſimpliciter ſcriptum, (*Deum condidiſſe homines hoc conſilio, ut laberentur*) quod ſcriptum eſt ſecundùm quid, ratione *permiſſionis* lapſûs; de quâ in verbis proximè-antecedentibus dixerat, etiam ex Bertii ipſius relatione. Quid enim abſurdi eſt, Piſcatorem ſic argumētari: *Si Deus permiſit, & quidem volens, atq; ex decreto ſuo, permiſit lapſum primorum parentum: etiam tales condidit, ut poſſent labi, imò hoc cōſilio, ut re-ipsâ laberentur?* An'ne lapſus præter & contra Dei conſiliū accidit?

Nihil

Nihil iſti Dei cōſilio accidit, aut accidere poteſt: alioqui nō eſſet omnipotens, non omniſcius Deus. Quantúmvis aliquid poſſit cōſilio præcepti accidere. Neq; enim eo cōſilio præcipitur aliquid, ut contrà fiat quàm præcipitur; ſed, ut præceptum. Et tamen etiam aliunde fieri poteſt, ut etiam hoc conſilio præcipiatur. Exemplo ſit *Lex*, poſt lapſum lata, *transgreſſionum causâ*. „
Gal.3.v.19. *Ubi* enim *nulla eſt lex; etiam* „
transgreſſio nulla eſt, Rom.4.v.15. *neq; pec-* „
catum imputatur. Rom.5.v.13. *Neq;* enim „
cognoſcitur peccatum ſinè Lege. Rom.7.v.7. „
Multa itaq; homonymia eſt, in vocabulo *Conſilii* & *Decreti*. *Conſilio & decreto præcepti, nullum foret malum*; uti objicit pag.11. Apologiæ: ſi præciperetur fieri. Non præcipitur autē: ſed potiùs ꝓhibetur. ideoq; hactenus malum manet: quanquam aliâ ratione malū non ſit; ob fines nimirum bonos, Deiq; ἀρχὴν ἀνυπεύθυνον, quippe qui nulli Legi ſubjacet. Ibi quidem, locum habet *diſtinctio τῶν καθ' αὐτὸ καὶ πρώτως, ab iis quæ eveniūt κατὰ συμβεβηκὸς & ſecundariò*: hîc nō ha-

Digitized by Google

bet. Quid enim abſurdi eſt; *ipſum malum eſſe* Dei reſpectu *bonum*, quà *ordinatum ab ipſo?* Num cædes Chriſti nō erat peſſima, ratione Judæorum Chriſtiq; hoſtium; quia innocentis? non item mala, ſed bona, ratione Dei, ordinantis illam ad ſalutem noſtram? Verùm ad alia pergamus exempla. Satis enim nunc *vidit*, *quomodo Calumniatorem vocet* Piſcator *eum, qui* neq; *ſententiã, quam ipſe pro ſuâ non poſſit non agnoſcere*, neque verba, omiſſis videlicet antecedentibus, *fideliter propoſuit*.

Majoris momenti exemplum prius, eſt *de Adæ peccato:* idq; *duplex*, propoſitione quidem; at non vindicatione. Proponitur ad hunc modū. 1. *Idem* (Piſcator) *peccatum Adæ dicit eſſe neceſſarium, & liberum: 2. permiſſum, & antecedente conſilio ſimpliciter decretum*. Vindicatur autē illud prius tantùm, adverſùs *reſpectus* diverſos, (Dei videlicet & Adæ; quib. bene conciliari ſolet apparens iſte Elenchus) ignorantiæ illos & imprudentiæ adſcribendo. Sic enim ait: *Quæ ipſa reſpectibus prolatis conciliare velle, ma-*

joris

joris neſcio ignorantiæ ne ſit, an imprudentiæ. Alterum verò homonymiâ ludere, in voce *Permiſſionis*, non minùs, quàm in altero illo principium peti, eſt manifeſtū. Neq; enim *Permittere* tantùm ſignificat id, quod alioqui futurum non erat, niſi petenti concederetur; utì hic putat: (quomodo Moſes permiſit libellum repudii Judęis: Matth. 19. v. 8. & Chriſtus dæmonibus, invadere gregem porcorum: Marc. 5. v. 13. & Pilatus Joſepho Arimathæenſi corpus Jeſu. Joh. 19. v. 38.) ſed etiam, ut rectè Piſcator, quod fit non-impediendo; tametſi non permitteretur concedendo; quomodo Adæ lapſus.

Poſterius exemplum, *de Voluntate Dei*, ſimiliter ludit homonymiâ. Quis enim negare auſit, vocem *Voluntatis* nō idem ſignificare? Ad rem autem facit illa tantùm notio, quæ in Dei verbo videtur complecti pugnantia aut cōtradictoria iſta: *Eventum illi reſpondere, & non-reſpondere.* Reſpondere autem Voluntati divinæ eventū, colligimus ex iſtis: *Voluntati ejus quis reſiſtat?* Rom. 9.

„ v. 19. *Quæcunq; voluit, fecit.* Pſal. 115. v. 3.
„ Non-reſpondere autē, ex hiſce: *Quo-*
„ *ties ego volui congregare filios tuos; & no-*
„ *luiſtis?* Matth. 23. v. 37. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, intrabit in regnum cælorum; ſed qui fecerit voluntatem Patris mei in cælis.* Matt. 7. v. 21. In hac poſteriore notione, Volūtas coincidit cum præcepto Dei: in illâ priore, non ſemper. Præcepta namq; Dei, nō ſemper fiunt: ſed aliquando quidem; aliquando verò non. In priore autē notione, quæcunq; vult Deus, fiunt ſemper; & non poſſunt non-fieri: ſive præcepta illa ſint, ſive non ſint. Quæ igitur ſecundùm præcepta fiunt; utrâq; ſignificatione Voluntatis fiunt. Quę autem ſecundùm præcepta non fiunt: priore quidem Voluntatis notione fiunt; licèt non poſteriore. Atque ità ſæpè videntur pugnare inter ſe illa, quę Deus velle dicitur, diverſâ Volūtatis notione. Num fieri, & non-fieri, nō ſunt pugnantia; imò contradictoria? Et ambo tamen iſta tribuūtur eidem Voluntati Dei, in Scripturâ. Quocirca, non reverâ;

râ; ſed nominetenus, contradictoria ſunt iſta: Quæ Deus vult, fiunt, & non-fiunt. Nam Velle quidem eſt idem, κατὰ τὴν λέξιν; (ut loquitur Ariſtoteles, 2 Prior. 15.) non item κατ' ἀλήθειαν: quoniam aliâ atque aliâ ſignificatione dicitur. Velle itaque, & Non-velle, in Deo contradictoria non ſunt. Aliud ſiquidem præcepti eſt; aliud non-præcepti.

Quod ergo dixit Piſcator, hîc, *de pugnâ Voluntatis Dei cum præcepto*; & inferiùs, *Duas eſſe in Deo volūtates pugnantes:* ſi viri boni officium facere voluiſſet, in meliorem iſtam partem explicare debuiſſet Bertius; cùm potuiſſet. Cur enim id non faceret Piſcatori, quod ab ipſo requiret poſtea? Non pugnant inter ſe, qui pugnantia volunt κατὰ τὴν λέξιν tantùm: alioquin idē aliquis ſecum ipſe pugnaret, quando diverſis temporibus, in diverſis ſubjectis, diverſo fine, &c. quid vellet. Quid autem, quæſo, abſurdi eſt, dicere; *Voluntatem Dei interdum* (κατὰ τὴν λέξιν) *pugnare cum præcepto illius?* Quid *Deo* indignum

eſt.

eſt, quòd *linguâ per miniſtros Evangelii profitetur, ſe velle, ut omnes credant; & non vult, ut omnes credant?* Tunc demum verè ac reipsâ ἀντίφασις foret; ſi τὸ Velle eâdem utrobiq; notione acciperetur; aut, ſi Velle & Præcipere, idem prorſus ac ſemper ſignificarent. Taceo jam cætera, quæ 1 Elench. 4. Ariſtoteles in vero Elencho requirit, inquiens: ἔλεγχος μὲν γάρ ἐστιν, ἀντίφασις τοῦ αὐτοῦ καὶ ἑνὸς, μὴ ὀνόματος, ἀλλὰ πράγματος· καὶ ὀνόματος μὴ συνωνύμου, ἀλλὰ τοῦ αὐτοῦ· ἐκ τῶν δοθέντων, ἐξ ἀνάγκης, μὴ συναριθμουμένου τοῦ ἐν ἀρχῇ, καὶ κατὰ τὸ αὐτὸ, καὶ πρὸς τὸ αὐτὸ, καὶ ὡσαύτως, καὶ ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ. Non ergo cõtradicunt iſta: *Deus vult, & non-vult, omnes credere.* Multò minùs hæc: *Quod præcipit Deus, interdum non vult.* Quando enim vult, quod præcipit, v. g. Fidem: longè alia ſignificatio vocis eſt; quàm cùm, quod vult, facit; vires, quibus id fiat, concedit; & nõ impedit. Quòd-ſi hac ſignificatione (quę propria eſt ac principalis) vellet omnes credere: omnibus quoq; vires ad credendum largiretur. Ità ſi vellet aliquid nõ fieri: illud impedi-

pedi-

pediret. quomodo impedivit, ne in diluvio periret genus humanum; ſervato videlicet Noâ cum ſuis in arcâ.

Alius quinetiam finis eſt præcepti in reprobis: nempe, reddere illos inexcuſabiles, excæcare, indurare. Neq; novum eſt, Deum præcipere, quæ ſcit à nobis præſtari nō poſſe. ideoq; propriè illa non vult: ſecùs, vires ad faciendum nobis ſufficeret. Qui namque vires non tribuit, cùm poſſit: certè nō vult, aliquo ſaltèm modo. Incarceratum qui velit liberatũ, ſi poſſit; omni, quâ poteſt, ratione liberat. Sin id non faciat; v.g. ſi nō redimat argento, quo poſſet: eo-ipſo oſtendit, ſe non velle ſimpliciter; ſed aliquo tantùm modo: quomodo etiam vult, qui præcipit. Quando igitur Deus præcipit, ut Legem ſuam prȩſtemus; vult ille quidem nos præſtare: ideoq; etiam punit non-præſtantes; & jure merito. non tamen vult ſimpliciter & omnimodo, etiam proprio: ſecùs, reſtitueret nobis poſſe, quod in Adamo amiſimus; impediret ſeductores, & alia obſtacula removeret.

veret.Itâ voluit,primos parentes nõ labi; ſed obœdire præcepto. quia tamen Serpentē ab illis ſeducendis non cohibuit:eo ipſo colligimus, aliquo etiam modo voluiſſe, illos labi. Eadē eſt ratio Fidei. Quia namq; non omnibus ac ſingulis facit prædicari Evangelium; neque omnibus, quibus illud prædicatur, fidē largitur: eo-ipſo oſtēdit, ſe nolle omnes credere; eo vid. modo ac notione illâ, quâ, quæcunq; voluit, fecit. Pſal.115.v.3. Hæc, atque alia ejusdem momenti, diſcenda & intelligenda priùs erant, quàm, per apparentem & ſophiſticum elenchum, ceu contradictoria, rejicerentur.

2. *Falſum.* Sequitur *Falſum*: idq; duplex. *1. Negat* Piſcator, ait Bertius, *à ſe ſcripta eſſe; cùm queritur, aſſicta ſibi eſſe à me verba iſta: (ut non tantùm labi poſſent; ſed etiam ut reipsâ laberentur) quæ & ſcripſiſſe manifeſtè cōvincitur loco, quem citavi; &, ut non ſcripſerit, continentur κατὰ διάνοιαν in iis, quæ ipſe pro ſe profert, locis.* Verùm nō ſenſu illo calumnioſo, de quo jam antè.

2. Queritur, à me omiſſam eſſe commemo-

rationem

rationem finium principalium. Hoc autem falſum eſſe, verba Piſcatoris oſtendēt. Neque enim illa ſunt de *commemoratione*, ſed *recitatione & indicatione*. Hę ſiquidem de ſpecie loquuntur: illîc genus ſufficit. Id quod ipſe fatetur Bertius in Apologiâ. Poſtquam enim ſpecierum omiſſionem excusâſſet, *potuiſſe illas intelligi à caudice*; ipſe ſibi in hæc verba objicit: *Sed non expreſſiſti, inquiet aliquis, ipſos illos fines, qui ſtatim in ſectione eâ poſiti leguntur; patefactionem vid. miſericordiæ in ſalute aliquorum, & juſtitiæ in interitu reliquorum*. Atque ità reverâ habet. Sic enim calumnia ſtatim dilueretur, & ſenſus calumnioſus. Itaque ineptum eſt, quod reſpondet. 1. *Putâſſe ſe, illa, quæ protulit, verba ſufficere, ad ſpecimen tam profanæ ſententiæ; neq; ulteriùs, ſordidâ verborum illiuſmodi recitatione, obtundendas eſſe aures Ordinum Illuſtrium*. 2. *Ad poſita dicturum fuiſſe Piſcatorem; non poſita eſſe ad ſuam mentem*. Ad calumniam certè cōvincendam ſufficiunt: quæ quia diluitur adjectione illorum, quid *ſordidi* in hac eſt? niſi quod præter mentem Pi-

Digitized by Google

ſcatoris. Cujus nũc *errori,oblivioni*, aut *præcipitantiæ in judicando, id imputari poteſt?* Ejuſdem erroris & præcipitantiæ in judicando eſt, quòd hîc, & in *gravioribus*, (qualia dicit, *cùm quæ contra veritatem primam illam, noſtris cordibus inſcriptam à Deo, & totius creaturæ voce confirmatam*; quaſi ejuſdem generis non eſſet, de quâ jam agimus! *tum ſecundam illam, in Scripturis proditam) in alias claſſes rejectis*; exiſtimat, Ariſtotelē, in finibus Sophiſtarum, veritatem ſpectâſſe aut falſitatem analyticam.

3. *Paradoxa.* Succedunt *Paradoxa*: quæ quid ad rem pertinēt, quando de veritate tractatur? Sunt autem iſta. *Deus hominem hoc conſilio condidit, ut re-ipsâ laberetur: Vidit enim, ſe non, niſi per peccatum, potuiſſe pervenire ad fines illos principales. Creavit ergo hominem mutabilem: ut poſſet, per abuſum liberæ ſuæ voluntatis, peccare; & ità occaſionem habere, eos, quos creaverat ad interitum, ex juſtitiâ damnandi & perdendi. Ex decreto Dei, amittenda ipſi fuit ſanctitas. Deus procurat peccata. Deus opus habet peccatore. atq; alia ſexcenta.* Cur autē iſta dicun-

cuntur paradoxa? An, quia contraria receptis in Eccleſiâ ſententiis? Quæ verò ſunt illæ, niſi Patrum cōſentientium? Non conſentire autem illos in hoc negotio, teſtatur Auguſtinus; quē vobis invitis hic ſequimur: non quòd ipſe ita ſenſerit; (ſic namque ἔνδοξος foret noſtra ſententia; & non παράδοξος) ſed quia ſic docet verbum Dei. Quid enim clarius iſto? *Deus omnia condidit propter ſemet-ipſum; etiam impium, ad diem malum.* Proverb. 16. v. 4. Quomodo *ad diem malum:* ſi non, ut laberetur? Quomodo *impium:* ſi aliter pervenire potuiſſet ad fines illos gloriæ ſuæ principales; miſericordiæ, & juſtitiæ diſtributivæ de pœnis? Sed hæc, & ſimilia, jam ſæpiùs è Dei verbo ſunt oſtenſa.

»
»
»

Reſtat ἀδολεσχία: à quâ excidit; ſi accipit, ut quidem videtur, pro verbo aut oratione, cui nihil rei ſubſit. Ità enim inquit, in ſententiæ Piſcatoris propoſitione: *Subjectum Prædeſtinationis eſt Homo, non-creatus, (ut ····· vel Adamibilis) creatus; (ut Adam) non-lapſus, (ut*

4. Ἀδολεσχία.

Adam innocẽs) lapſus, (ut Adam peccator.) Et in refutatione iſtâ, dum inquit: *An non de prædicato ſimiliter dici poſſet: prædicatum Electionis eſſe gloriam, nondum-deſtinatam, & deſtinabilem, & tandem-deſtinatam? Reprobationis, exitium non-deſtinatum, deſtinabile, deſtinatum?* Et in ἐπιφορᾷ: *Quis tandem erit finis ineptiarum; ſi iſta admittimus?* Verè autẽ *ineptiæ* ſunt, à parte *prædicati.* Neque enim iſtud hîc reſpondet ſubjecto: quod eſt, in hoc negotio, non, ut objectio vult, prædicationis; ſed actionis ſubjectum. Neque etiam, ſi prædicationis ſubjectũ accipeтetur; propterea prædicati eadem, quæ ſubjecti, ratio eſſet: ut, quia de hoc moris eſt dicere, quâ ratione prędicatum illi in enuntiatione tribuatur, ideò ſimiliter quoque faciendum ſit prædicato: aut, ſi iſtud fieri, niſi ineptè, nõ poſſit; propterea illud quoq; facere non liceat. Et quis unquam dixerit, *prædicatum Electionis, eſſe gloriam; Reprobationis, exitium?* Num idem eſt, finis & prædicatum. Quid verò etiam inepti foret, dicere; *in negotio Prædeſtinationis*

nationis ſeu Electionis, gloriam conſiderari, ut nondum-deſtinatam, deſtinabilem, & deſtinatam? Ante Electionem namque, (prout nobis eam animo concipere licet: quanquam re-ipſâ ante illam nihil fuerit) cur non diceremus gloriam nondum-deſtinatam, ſed deſtinabilem: quemadmodum poſt eam factã, gloriam deſtinatam?

Quid contrà *inepti* eſt, dicere, hominem, in Prædeſtinationis doctrinâ, conſiderari poſſe, ut non-creatum, & creatum, & creabilem: ut nō-lapſum, & lapſum, & labilē. Prædeſtinationis ſubjectũ, eſt Homo, aliâ ratione, nondum-exſiſtens; ſed adhuc creandus: aliâ, jam creatus & innocens: aliâ, non lapſus; ſed lapſurus: aliâ denique, jam lapſus; quomodo Auguſtinus eum cõſiderandum cenſet. Cùm enim prædeſtinaret Deus; homo nondum erat: prædeſtinatione tamen erat futurus, & innocens, & labilis, & peccator. Nulla hîc eſt ἀδολεσχία. quę tunc demũ foret, ſi otioſè idem bis diceretur. v.g. Dominus ſervi. Dominum ſiquidem

dicere, ſimul includit ſervum. Diſcendum itaq; & hîc priùs eſſet, quid ſit ἀδολεσχεῖν, quàm alteri objiceretur. Atque hactenus ſecunda fuit lex.

Lex III. Tertia deſumta eſt ex Topicis; ſed ab iſto propoſito alienis. *Præterea*, inquit, *Sapientes monent, neq; quidvis pro Theſi proponendum; neq; quidvis propoſitum oppugnandum eſſe.* Et, ne quid verborum deſit, idem mutatis hiſce verbis repetit: *Non eſt profectò Sapientis, de quâvis re formare problema.* Nẽpe, Theſis & Problema hîc fiunt idem: cùm tamen Ariſtoteles, qui iſtud monet, 1 Topic. 9. inter illa diſtinguat. ubi etiã quatuor utriusque genera exponit, hîc producta; ſed alicubi verbis minùs rectè cõverſis. V. g. δεόμενος λόγου, non vertendũ erat per, *inops rationis*; (ità namq; foret quoq; δεόμενος κολάσεως, aut αἰσθήσεως: quos tamẽ ab illó diſtinguit Ariſtoteles) ſed, *dignus cũ quo ratione agatur.* quẽadmodũ ex alterâ parte, propter problema aut theſin, dignus aliquis dicitur pœnâ; vel materiâ, de quâ ſenſu tãtùm agatur. Pœnâ, e. g. dignus eſt Ariſtoteli,

ſtoteli, qui dubitet; *An Deos oporteat honorare, aut Parentes diligere, necne?* Ciceroni, 2 de naturâ Deor. *diſputans contra Deum; ſive ex animo, ſive ſimulatè.* Sed, nū iſtud non licet πείϱας ἕνεκα? quomodo Chriſtus oppugnat, Meſſiam eſſe Davidis filium. Matth. 22. v. 43. Hoc enim jam diverſum eſt ab eo, quod Bertius affert; *non poſſe in dubium vocari, niſi quis bonos mores everſos velit.* Finis namq; facit differentiā. Quandoq; verò etiā ipſa materia, quæ diſputatur. Ex quo genere eſt illud, 1 Corinth. 15. v. 32. ex Eſaj. 22. v. 13. *Edamus & bibamus: cras enim moriemur.* Et hoc, Rom. 3. v. 8. *Faciamus mala; ut eveniant bona.* Hîc quidem finis bonus eſt: & tamen actio per ſe mala eſt; ut & illîc. Quòd-ſi autem Chriſto dignum eſt, πείϱας ἕνεκα, diſputare contra id, quod manifeſtæ erat apud Phariſæos veritatis: cur non etiam *Scholaſticis* liceat, *diſputare in utrāq; partem, de rebus manifeſtæ veritatis & honeſtatis?* Hoc enim primum exemplum dat, quaſi *contra bonos mores.*

Alterum, minùs adhuc eſt: *diſputata*

in ſcholis, etiam pro concione ad plebem diſſerere. Eſt enim hoc tantùm *imprudentiæ*: neq; tamen ſemper. Nam & Chriſtus eadem diſputavit ad plebem, quę in ſynagogis: etſi fortè nō eodem modo. Id verò *imprudentiæ* eſt, *non ſatis cautè diſputata*, h.e. falſa, indè huc adferre. Et quidem contra bonos mores eſt; ſi fiat, quod rationis loco ſubjicitur: *Non oportere prima pietatis ſemina, quæ naturæ noſtræ inſevit De⁹, ullâ ratione evellere:* ſed, *de Deo loquentem, par eſſe digna Deo dicere.* Certè nō illud, ſed hoc fit, quādo Chriſtus contra Phariſæos diſputat, *Applicatio.* dicto antè loco. Neque etiam fit illud à *Scholaſticis:* nedum à *Piſcatore*, *definiente, Deum maximam Mundi partem exitio ſempiterno deſtinâſſe.* Quid enim aliud
„ dicit, quàm Chriſtus, Matt. 11. v. 25. *Con-*
„ *fiteor tibi, Pater, quòd abscondiſti hæc à ſa-*
„ *pientibus & intelligentibus* (totius Mun-
„ di;) *& revelaſti ea parvulis*, (nempe A-
„ poſtolis, & horū ſimilibus.) Matth. 20.
„ v. 16. & 22. v. 14. *Multi ſunt vocati; pauci ele-*
„ *cti.* & Matt. 7. v. 13. *Lata & ſpatioſa eſt via,*
„ *ducens ad interitum: & multi ſunt ingredi-*

entes per eam. Contrà, *ſtricta eſt via, du-* ,,
cens ad vitam: & pauci ſunt invenientes il- ,,
lam. v.14. ſoli videlicet *Electi ante conſti-* ,,
tutionem mundi; qui etiam ſeduci non poſ- ,,
ſunt. Matth. 24. v.31. Iſtud autem bene ſtat cum eo, quod Deus clamat, *ſe eſſe gratioſum, miſericordẽ, longanimẽ*, φιλανθρωπον, *multum benignitate: nec velle mortem peccatoris; ſed ut convertatur, & vivat.* Utrumq; proin aſſerit Piſcator: nec, quia illud aſſerit, hoc *in controverſiam rapit, aut de eo dubitat*; utì falsò hîc inſimulatur. Et quomodo, quæſo, *dubitat:* ſi, utì porrò etiam falsò accuſatur, *contrà definit?*

Præterea, inquit Bertius, *in oppugnandis Theſibus manifeſtè veris, cur tam contentiosè litigatur?* quaſi *contra ſapientem*, h.e. Ariſtotelem: cujus verba, ſinè mẽtione loci, producit; & alicubi etiam malè convertit. *Ut in certamine* (inquit Ariſtoteles, 1 Elench. 10. universè, non de veris, nedum manifeſtè veris; ſed in diſputationem dialecticam vocatis, & illorum ſyllogiſmis ac probationibus injuſtis ſeu contentioſis: quid hæ *Lex IV.*

differant à juſtis dialecticis, æquè ac injuſtis ſcientiarum. Eſſe enim injuſtas, ex agone probat) *injuſtitia* (non *injuria*. Differunt enim ἀδικία & ἀδίκημα) *ſpeciem quandam habet, & eſt ſeu dicitur* ἀδικομαχία: *ſic injuſta dimicatio, contradictio eſt, & dicitur* ἐριστική. Exponit etiam, quæ ſit utraq;. *Ut enim ibi*, inquit, *qui omnino vincere volunt, omnia tentant,* (etiam injuſta:) *ita & hîc, qui ſunt contentioſi.* Ex hoc autem nondum universè ſequitur, contentioſe, h.e. injuſtè, diſputandum non eſſe: ſed, non Dialectico, neq; Apodictico. Excipitur enim ὁ πειραστὴς & Sophiſta: quibus iſta lex eſt. Quid autem hoc ad Piſcatorem?

Pergit Bertius quaſi novâ lege datâ: *Jam verò quis non intelligit, eum, qui de Religione cum alio conferre ſuas meditationes inſtituit, debere diſtinguere τὰ οὐσιώδη ab accidentariis?* Neq; verò colligitur hoc ex præcedentibus; ſed probatur ità universè: *Nam cùm in omni oratione, ſicut in picturis, quædam ſint πάρεργα, vitiosè is facit, qui, miſſis præcipuis, hæret in quibusdam minutiis: &, cùm hominem ferire non poſſit,*

telum

telum conjicit in umbram. Non ſolùm ergo in religione; ſed universè, diſtinguenda ſunt πάρεργα ab ἔργοις, τὰ ἐσιώδη ab accidentariis: idque hoc conſilio, ut *non hæreamus in accidentariis ſeu parergis*, quæ *minutias* iſte vocat; *miſſis* contrà *præcipuis*. Ratio pendet ex illo Ariſtotelis loco: quia ſophiſticum id eſt. imò & oratorium quãdoque; ſed cum meliore πρoαιρέσει. Quid ſi autem Adverſarius etiam iſta admiſceat alioquin accidentaria? An non etiam tunc perſtringenda ſunt; præſertim ſi bono id conſilio fiat: non ut neceſſaria negligantur, aut prætereantur, ſed ut inſcitia Adverſarii etiam in aliis luceſcat, aut, ſi qua ſubeſt, malitia. Quid enim obſtat? Nihil certè apparebit in applicatione Legis, quę ſcatet poſtulatis alſiſſimis. Nos illam quoque paucis percurramus.

Ut in hac causâ, inquit, *cùm non de ſtillicidio ageretur, ſed de toto fundo, cur malit Piſcator illud oppugnare, quod in ipſum viter & ſtrictim dictum erat; quàm quod totam cauſam?* At maluiſſe non pro- *Applicatio.*

batur, ſubjectis prorſus alienis hiſce: *Et cùm vellet oſtendere, ſententiam ſuam de divinâ Prædeſtinatione non convenire cum Tiberianis deliberationibus; quid opus erat litem movere, de numero Virginum, de lenone, de carnifice? Nam, ſive una occiſa fuerit; ſive plures: ſive leno fuerit ſtuprator, ſive carnifex: manet vis argumenti.* Quid autem ineptius hoc argumento: Non opus erat ad vim argumenti; Ergò nihil opus erat? Si prorſus nihil opus erat: cur defendit Bertius hac Apologiâ ſuâ? Sin verò opus erat defenſione, contra vanitatem objectionis: cur nō opus erat, ad oſtendendam vanitatem allegantis hiſtoriam?

Ejusdē vanitatis eſt, ſi hoc-ipſo inſimulat, quaſi Piſcator hiſce tantùm, aut magis, voluerit oſtendere diſſimilitudinem, ad enervandam vim argumenti. Annon ipſe Bertius, in Apologiâ, Piſcatoris verba ſic referet? *Antequam illud* (calumniam atrocē, ex hoc facto Tiberii, doctrinæ ipſius impactam, ob diſſimilitudinem triplicem: 1, agentium. 2. modi agēdi. 3. objecti.) *de-*

demonſtrẽ, de duobus monere, operæ precium puto. Unum eſt: quòd narratiuncula iſta de Tiberio, ineptè confirmatur teſtimonio Suetonii. Hic enim teſtatur de immaturis puellis compluribus. At narratiuncula eſt de virgine quâdam certâ. &c. Annon manifeſta eſt diſtinctio horũ, ab argumẽto ipſo? Quare & ipſe Bertius *diludia* vocat: & *concedit, evagari ita; modò tandem ad rem veniat* Piſcator. Non ergo dicendum erat: *Cùm vellet oſtendere, ſententiam ſuam* &c. Sed priùs, quàm oſtenderet, opus erat præmittere iſtas diſcrepantias Suetonii & Bertii: ut, quantum ei eſſet in cæteris quoque authoritatis, liqueret. Notum enim eſt, eum, qui ſemel malæ fidei ſuſpectum ſe fecit, ſemper talem præſumi.

Ejusdem farinæ eſt, quod de exemplo ipſo ſubjungitur. *Rurſum*, inquit, *cùm dixiſſem, ſententiam Piſcatoris conceptam eſſe ad exemplum facti Tiberii: cur maluit dictum illud meum in deteriorem rapere partem; cùm ſciret in melius capi poſſe?* Rapere enim dicimur, quãdo verbis vim facimus. At in parte deteriore, nulla

hîc vis eſt: ſed in meliore; quãtúmvis *Ciceroni, Terentio, Plauto, familiari*: ut ait in Apologiâ, citra locorum allegationem. Exemplum enim, ſimilitudinem notat. At, Concipere ad exemplum, ſi tantùm dicatur ad ſimilitudinem notandam; per vim dicitur: ſiquidem, ad exemplum quid facere, κυρίως aliud ſignificare non poteſt, quàm, in faciendo exemplum ſibi proponere ad imitandũ. Iſtam ergo phraſin rapuit Bertius. Si non rapuit; calumniatus eſt. Declinâſſet autem calumniam; ſi vel ſinè exemplo locutus propriè eſſet. Præſtat enim ſinè exẽplo loqui; quàm cum eo dubiè & periculosè: præſertim ſi propriè poſsis. Quocirca etiam per calumniam dubitanter ſubdit: *Niſi fortè glaucoma Lectoris oculis voluit objicere; ut cauſam deſperatam hac ſaltèm parte fulciret*. Eſt'ne hoc, *glaucoma objicere*; quę dicuntur, communi more ac ſenſu accipere? Et num hac ſaltèm parte fulcivit cauſam ſuam Piſcator?

Neque etiam hoc in Piſcatorem cadit, quod additur: *Videntur ſanè, qui ità dis-*

diſputant, prurigine quâdam laborare altercandi, & litem ex lite velle ſerere: ut, dū parte aliquâ tenebras offuderint, totâ causâ videantur ſuperiores. Et falſum eſt hoc quoque poſtremum; ſi quaſi ſemper in vitio ponatur. Præcipit enim hoc Ariſtoteles Dialectico etiam, 8 Topic.1. in κρύψει. Túnc autem dialecticum diſputatorem dices, prurigine altercandi laborare? Aliud eſt, loqui de culicum colatoribus, & camelos devorãtibus: quorū ſocius non eſt Piſcator. Quòdſi etiam, utì pergens ait Bertius, *ad multa connivēdum eſt ei, qui ſcopum ferire vult, h.e. veritati cognoſcendæ & explicandæ operam dare*: cur & hîc, & in Apologiâ, nō connivet? Quid autem obeſt veritati, non his quidem, quibus ſuſpecta illa ſit; ſed aliis, ex profeſſo explicatę: ſi obiter etiam inſperſa notentur mendacia? Cur ipſe comparationem ſuam, quâ maledicentiſſimè, & præter rem, in noſtros eſt debacchatus, nō prętermiſit? Quâ deniq; conſcientiâ cōcludit: *Quid ego in hoc negotio non potuiſſem; ſi iſtud mihi permittere voluiſſem?* Neq; e-

nim teſtatur cōparatio de innocentiâ & modeſtiâ: tametſi fortè homo non omnem effudit impudentiam.

Lex V. Sequitur alia lex. *Qui vel docere alium*, inquit; *vel in communem veritatem inquirere cupit, debet omnino à convitio abſtinere.* Quid ita? *Sophiſtarum eſt*, ait, *quoties de bonitate cauſæ diffidunt, ad iram provocare diſputantem: ut is, immemor ſui, alicubi impingat, & ludibrium debeat auditoribus.* Oratorum ſi hoc eſſe dixiſſet; veriùs dixiſſet: ſed nihil ad rem; imò contra eam. His enim licet ad iram provocare; etſi non convitio. idque ad victoriam facit: non itèm ad doctrinam, neque ad veritatem. Illis autem non licet. Quàmvis enim id ſit in præceptis, 1 Elenchor. 14. ἔστι δὲ πρὸς τὸ ἐλέγχειν, (putà ſophiſtico modo) ὀργὴ καὶ φιλονεικία: (nihil hîc de diffidentiâ cauſæ; neque de ludibrio. Et ratio tamen eadem valet Ariſtotelis: παρατηρούμενοι γὰρ ἧττον δύνανται φυλάττεσθαι πάντα.) tota tamen illa inſtitutio facta eſt, non προαιρέσεως; ſed δυνάμεως χάριν: non ut illâ utamur; ſed ut utentes cavere & di-

diluere poſſimus. quemadmodum etiam in Rhetoricis, 1 Rhetoric. 1. Et universè Ariſtoteles, 1 Elench. 2. ἔστι γὰρ, ὡς ἓν πρὸς ἓν εἰπεῖν, ἔργον περὶ ἕκαστον τοῦ εἰδότος, ἀψευδεῖν μὲν αὐτὸν, περὶ ὧν οἶδε· τὸν γὰρ ψευδόμενον ἐμφανίζειν δύνασθαι.

Quid autem convitii Piſcator? *Narrationem*, inquit Bertius, *meam, per contemtum, narratiunculam vocavit.* *Applicatio.* Hoccine convitium eſt; etſi *per cōtemtum*? qui tamen probari non poteſt: cùm manifeſtè conſtet, & verbis & rebus parvam illam eſſe. Taceo enim jam de pravitate ſuprà notatâ. Quòd-ſi autem ferre non potuit, *narratiunculam* dici *narratiunculam*; ſcapham ſcapham: quantò minùs tuliſſet, ſententiam ſuam conferri cum facto Tiberii alicujus improbiſſimo? Non certè fert, *calumniam*, quæ demonſtrata eſt, dici calumniam: minimè *atrocem*. Nam & hoc queritur. Quantò autem nos juſtiùs poſſumus? *An deerant mitiora*, non *vocabula*; ſed exempla? *Non potuit charitas ſuggerere*, vel per ignorantiam, vel per errorē, vel per præcipitantiam, peccari potuiſſe à te, in iſtâ

comparatione? Cur non maluit rem expendere; quàm in fratrem ità peccare? Sed non eſt novum; faciliùs feſtucam in alieno, quàm trabē in proprio oculo, obſervare. Eadem ergo comparatio, peccat in ſequentem quoque ſextam legem.

Lex VI. *Ad hæc*, inquit, *tenentur ii, qui ex æquo & bono in religionem inquirūt, minimè moroſi eſſe, ſed placidos ſe utrinq, & tractabiles præbere.* Num *placidum* ſe præbuit Bertius, in iſtâ comparatione? Et quid opus eſt probatione, quæ exſtat 8 Topic. 4? Si namque *ex æquo & bono in religionem inquirunt; non moroſos, ſed placidos & tractabiles oportet ſe utrinque præbere*: quoniam id *æquitas* & *religio* poſtulat. Sed probationem tamen videamus: *Eſt enim*, inquit, *diſputatio, commune duorum opus: neque ſatis eſt, alterum talem eſſe. utrumq, ità animatum eſſe oportet.* Hoccine non eſt ἀδολεσχεῖν, & idem bis dicere? Quocirca aliam ſubdit rationem; vid. ex Ariſtotelis dicto loco: οὐ γάρ ἐστιν ἐπὶ θατέρῳ μόνῳ, τὸ καλῶς ἐπιτελεσθῆναι τὸ κοινὸν ἔργον. Et paulò pòſt: ἐπεὶ δὲ φαῦλος κοινωνὸς, ὁ ἐμποδίζων τὸ κοινὸν ἔργον· δῆλον ὅτι

καὶ ἐν

καὶ ἐν λόγοις. Loquitur autem Ariſtoteles, de diſputatione logicâ ſeu dialecticâ; ad differentiam τῶν ἀγωνιζομένων· οἷς οὐκ ἔστιν ἀμφοτέροις τοῦ αὐτοῦ τέλους τυχεῖν. πλείους γὰρ ἑνὸς ἀδύνατον νικᾶν. Ibid. At in dialecticis, κοινόν τι προκείμενόν ἐστιν.

Eadem eſt ratio veritatis inveſtigãdæ: ubi tamen officia non differũt, ut in dialecticis. de quorum differentiâ, ſic Ariſtoteles, 8 Topic. 3. πρῶτον μὲν διοριστέον, τί ἐστιν ἔργον τοῦ καλῶς ἀποκρινομένου, καθάπερ τοῦ καλῶς ἐρωτῶντος. ἔστι δέ, τοῦ μὲν ἐρωτῶντος, τὸ οὕτως μεταγαγεῖν τὸν λόγον, ὥστε ποιῆσαι τὸν ἀποκρινόμενον τὰ ἀδοξότατα λέγειν, ἐκ τῶν διὰ τὴν θέσιν ἀναγκαίων. τοῦ δὲ ἀποκρινομένου, τὸ μὴ δι' αὐτὸν φαίνεσθαι συμβαίνειν τὸ ἀδύνατον, ἢ τὸ παράδοξον, ἀλλὰ διὰ τὴν θέσιν.

Quæ autem Bertius ſubdit, de *impedimentis*; non propria, ſed communia ſunt. Sic enim ait: *Impediunt autem diſputationis curſum, qui ad incitas redacti, h. e. ad metam tacendi, incipiunt præſtigiatorum inſtar* περθρόζεσθαι, *& offucias quærere monſtroſarum & inanium diſtinctionum.* An non id æquè fieri poteſt in interrogante, atque in reſpondente? Sed

quæ nam ſunt illæ diſtinctiones? *Quibus*, inquit, *ipſa rerum omnium, & ſcientiarum omnium, principia evertuntur*. At nõ minùs impediunt, qui diſtinctiones neceſſarias tollunt. Neq; enim ſcientia conſtat in confuſione diſtinguendorum; ſed in diſtinctione. Illius accuſatur falsò Piſcator: hujus convincitur reverâ Bertius. Accuſatio his verbis ponitur: *Mirum dictu, & tamen verum eſt; Piſcatorem, virum graviſsimum, candidiſsimum, & doctiſsimum, addo etiam* χαρίεντα, (*dicendum enim, quod res eſt*) *hoc ſe crimine non ſemel obſtrinxiſſe*. Et tamen non afferuntur exempla diſtinctionũ; nedum talium: ſed rerum diſtinctarum, aut diſtinguendarũ. *1. Idem ſimul eſſe neceſſarium, & liberũ. 2. Deum voluiſſe, & noluiſſe, peccatũ Adæ. 3. Duas eſſe in Deo voluntates pugnantes. 4. Interdum ſtatuendum nobis, falſa eſſe vera.*

Applicatio.

Quærit autem, *quorſum iſta ſpectent?* Dicam. Num *monſtroſæ & inanes ſunt diſtinctiones, neceſſarii & liberi; voluntatis & noluntatis Dei; veri deniq; & falſi?* Res & nomina diſtinguere, non eſt, rerum

& ſcientiarum principia evertere; ſed ſtabilire. Cedò autem principium, quod evertitur; ſi dicat Piſcator: 1. *Idē, diverſo reſpectu, eſſe liberū, & neceſſarium. 2. Deum, aliâ atque aliâ notione, voluiſſe, & noluiſſe, Adæ peccatum. 3. Vocem, Voluntatis Dei, non eâdem notione accipi, ſed diversâ; ut complectatur pugnantia. 4. Uno modo falſa, alio vera eſſe poſſe.*

Chriſtum mori, erat neceſſarium, decreto & voluntate Dei: Matth. 26. v. 42. liberum, ſuâpte naturâ, & in arbitrio Pilati. Joh. 19. v. 10.

Deus voluit peccatum Adæ: alioquin impediiſſet, vel nō-creando hominem talem; vel non-ferēdo legem, de non-manducando ex arbore vetitâ; vel cohibendo Serpentem, &c. & noluit idem: quia illud non præcepit; ſed prohibuit.

Duæ ſunt in Deo volūtates pugnantes, κατ' ὄνομα· ȣ̓ κατ' ἀλήθειαν ϗ πρᾶγμα. h.e. Velle Dei, ὁμώνυμον eſt, quoad vocem, diverſa, imò pugnantia, ſignificantem, eo quo dictum eſt modo. &c.

Alia porrò ſubjūgit exempla: quo-

rum primum, *de Tiberio*, idque tripertitum, interpolat: reliqua ſimpliciter iterum enumerat. *Jam verò*, inquit primò, *quid eſt τερθρεύεσθαι, ſi hoc non eſt? In ſimili κατ' ἀναλογίαν facto, peccat quidem Tiberius; ſed Deus non peccat.* Num hoc eſt τερθρεύεσθαι, dicere, Hominem interficere, eſſe peccare, & non-peccare. Peccare; ſi privatus faciat, ex propoſito & affectu pravo: non itèm; ſi magiſtratus, ex officio. Quod enim regerit: *Tantum mihi valere videtur, ac ſi dicas, Binarius Tiberio par eſt; Deo non eſt:* prorſus eſt diſſimile. Neque enim numerus paritate aut imparitate variat, reſpectu hujus aut illius perſonæ: utì facta, legibus ſubjecta aut nō-ſubjecta, quoad alios atque alios. Differentiam vidimus in facientibus: quę eſt etiam in patientibus. Rem alienam ſi auferat nō-offendenti, ſive privatus, ſive magiſtratus, peccat: non itèm, ſi auferat hoſti; præſertim mandato Dei, ut AEgyptiis Iſraelitæ.

Alterum de Tiberio, ejuſdem eſt farinæ. *Simile priori*, inquit, *eſt iſtud. Tiberius*

rius potuit aliter: Deus non potuit. Quid enim hîc περθρείας eſt? *An non*, ait, *hoc eſt Deum ſubjicere neceſſitati, cui Tiberium eximas?* Quid hoc, inquam, præſtigiarum eſt; vid. ex hypotheſi finium, voluntatisque Dei? Eadem eſt naturæ quoq; ratio. Homines poſſunt aliter, quàm bene agere, h. e. peccare: Deus non poteſt. Quis hanc dicet eſſe περθρείαν?

Nec diſſimile tertium eſt. Inquit enim: *Quis hoc ferat? Tiberius quidem ſævijt in innocentem: ſed Deus in eos, quos ipſe nocentes eſſe voluit; quosq; ipſe noxæ deſtinavit. An non hoc eſt Deum facere pejorem, improbiſſimo tyrãno?* Quid, quæſo, *tyrannici* eſt, velle quodam modo, Hominem fieri nocentem; vid. creando illum, & quidem talem, qui labi poſſet: & non impedire noxam, niſi prohibendo? Non prohibuit Tiberius; ſed tacitè juſſit ſtuprari virgines: quæ ſi, uti oportebat, repugnarũt; innocentes occiſæ fuerunt: non itèm, ſi conſenſerunt. Quomodo nec homines: qui Serpentis irritationi nõ repugnarunt; ſed in illam conſenſerunt.

Reſtant exempla non-interpolata. De his inquit 1. *Qualia verò ſunt iſta? De non-ente extra creationem poteſt prædicari actu-ens: imò & de non-ente non-ens.* Ecquid abſurdi, ſi illud quidem impropriè; hoc autem, propriè accipiamus?
„ *De nondum-natis dictum eſt Rebeccæ; Major*
„ *ſerviet minori.* Rom. 9. v. 12.

2. *Fines ultimi plures ſunt: imò contrarii.* Quidni, certo ac diverſo reſpectu? An non miſericordia quadamtenus juſtitiæ eſt contraria? Siquidem hæc punit; quæ illa condonat. Et, annon fines ultimi ſunt, gloria miſericordiæ, & juſtitiæ Dei? Rom. 9. v. 22, 23.

3. *Cùm ſubjectis pluribus*, (numero-differētibus, ſub eâdem ſpecie vel genere) *imò millies millibus, additur unū prædicatum; manet ſemper effatum unum.* Sed non numero.

4. *Neque verò ſiunt plura*, (ſpecie, aut genere) *etiam cùm pluribus adduntur plura & contraria prædicata.* Ecquod autem præſidium ſuum, talia dicens, deſerit? Non demonſtrat id Bertius; ſed receptui canit, inquiens: *Sed, de modo diſpu-*

tan-

tandi, ſatis mihi multa dixiſſe videor. Et mihi quoque videtur: ſed eâ notione, quâ multitudo arguit vanitatē. Quam videamus jam etiam in alterâ Commonefactionis parte, nempe *Judicio*: quod hactenus tamen non rarò admiſtū fuit; fortè propter cognationem.

II.

DE RECTA RATIONE JUDIcandi, in controverſiis Theologicis.

Commonefactionis pars altera.

NOn ità preſsè hîc proponit Bertius, uti ſuprà; ſed universè, & quidem ſatis ambiguè, dicens: *Sequitur, ut de judicio rerum aliquid ſubjiciam.* Non intelligitur enim, niſi ex ſuperioribus; activéne, ut quidem phraſis ſonat, an paſſivè, ut ſuperiora habent, accipiatur *judicium rerum.* Et ſequentia quoq; docent, eſſe illud, non rerū; ſed perſonarum de rebus: neq; etiam de rebus universè; ſed de theologicis Chriſtianorum. Ità namque probat propoſitum: *Nam, cùm judicium, Chri-*

ſtiane lector, quod divinitùs tibi datum eſt, excutere non poſſis; neq; verò etiam debeas: cùm ex judicio tuo te Deus aliquando judicaturus ſit: noſtrarum partium videtur, illud formare,& exigere ad canonem. Quòd-ſi omniũ eſt, judicari, & judicare; ut eſt:
„ *(omnes* ſiquidem *ſiſtemur coram tribunali*
„ *Chriſti:* Rom.14.v.10. *& unusquisq; pro ſe*
„ *rationem reddet Deo.* v. 11.) tur ergo ſolis Chriſtianis adſcribitur hîc judiciũ?
„ Chriſtus ad Judæos quidem ait: *Ne ju-*
„ *dicate ſecundùm faciem; ſed juſtum judiciũ:*
„ Joh.7.v.24. *Quod autem his dixit, omnib.*
„ *dixit.* Marc.13.v.ult. *Præteritis quidem ge-*
„ *nerationibus, dimiſit omnes gentes ingredi*
„ *viis ſuis:* Act.14.v.16. *Nec tamen inteſtatum*
„ *ſemet-ipſum reliquit, benefaciendo, cælitùs*
„ *nobis dans pluvias, &c.* v.17. Ac τὸ τοῦ θεοῦ
„ γνωστὸν *notum eſt in hominibus: nam Deus*
„ *illis manifeſtavit.* Rom.1.v.19. *Nam inviſi-*
„ *bilia ipſius, à conditione mundi factis intelle-*
„ *cta conſpiciuntur; æterna videlicet ejus po-*
„ *tentia & divinitas: ad hoc, ut ſint* ἀναπολόγητοι.v.20. Et cur omnibus, etiam non-Chriſtianis, jubetur prædicari Evangelium; niſi ut, judicio adhibito, credant?

dant? Sed aliud eſt judicium Chriſtianorum; præſertim doctiorum, *quibus exercitati per habitũ ſunt ſenſus, ad discretionem boni & mali.* Hebr.5.v.14. Ad hoc etiam propriè pertinent controverſię Theologicæ: quoniam hæ ſunt ſolidus cibus. Proindemala eſt conſequẽtia: *Ad omnes pertinet* judicium *de ſalute ſuâ; Ergo ad omnes quoq;* judicium *de cõtroverſiis theologicis.*

Utriusq; porrò judicium *excuti poteſt.* Datum ſiquidem eſt, *judicare ſecundùm ſpiritum;* & non *ſecundùm carnem,* Joh.8.v.15. ſeu κατ' ὄψιν. Joh.7.v.24. Hinc *ſapientes* Ethnici, *cognoſcentes Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, neq; gratias egerunt: ſed evanuerunt in ratiocinationibus ſuis.* Rom.1.v.21. Evidentiùs adhuc Gallio, Act.18.v.15. *Quia quæſtio eſt de verbo, & nominibus, & lege veſtrâ; vos-ipſi videritis. Ego judex horum eſſe nolo.* Aliud itèm eſt, *non-poſſe;* & aliud, *non-debere.* Et mirũ, Bertium hîc urgere τὸ *non-poſſe:* quod alibi tã ſtrenuè & hoſtiliter oppugnat; putà *de Apoſtaſiâ Sanctorum.* Quod ergo ad *debere* adſtringit *poſſe;* vel potiùs ab

hoc ad illud abit: probamus æquè, ac quod *de judicio formando, & ad canonem exigendo*, dicit. Neceſſitas enim ex pravo uſu pendet, qui eſt contra *canonem*. Quis verò iſte?

Triplex ſit canon: videlicet, *poſt Rationem naturalem, & Veritatem divinitùs inſculptam, Logica apodixis*. Qui res divinas, in quibus eſt etiã Scriptura ſacra, (tradit namq; hæc res divinas, earũq; modũ) docent aut judicant, nituntur vel naturâ; vel certiore duce, arte. Naturâ judicant indocti: arte, ſapientes ἢ πεπαιδευμένοι. Eſt autẽ παιδεία, ἢ περὶ πᾶν, ἢ κατὰ μέρος. 1 Ethic. 3. Περὶ πᾶν eſt, non ſolùm *Apodixis logica*; ſed etiam Dialectica, ſub quâ Rhetorica. Κατὰ μέρος, eſt Scriptura. Hęc enim, non ſolùm res divinas tradit; verùm etiam τρόπον illarum: qui proprius quidem eſt; ſed cõtētus ſub generali illo. Hinc monitio
" illa: *Si quis loquitur*, ὡς λόγια θεοῦ. 1 Pet. 4.
" v. 11. Et Paulus *orare pro ſe* vult, *ut loquen-*
" *do manifeſtet myſterium Christi*, ὡς δεῖ λα-
" λῆσαι. Coloſ. 4. v. 4. Idem inſtruit Ti-
" motheum, non ſolùm ad *miniſtrandũ*;

ſed

ſed etiam ad *bene miniſtrandū*: 1 Tim. 3. v.13. *ut ſciat, quomodo oporteat in domo Dei verſari, quæ eſt Eccleſia*. v.15. ϗ ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τ῀ ἀληθείας. 2 Tim. 2. v. 15. Cùm autem ſcopus inſtitutionis ſit, ędificatio Auditorum: 1 Cor. 14. v. 26. 2 Cor. 10. v. 8. & 12. v. 19. & 13. v. 10. captus autem illorum omnium non ſit idem: ideoq; alius dicendi ac docendi modus, quando cum infantibus res eſt; alius, quando cum adultis & doctis: (cum illis enim, Pauli exemplo, *carnaliter agendū, & lac præbendum eſt, nō ſolidus cibus perfectorum*. 1 Cor. 3. v. 1, 2. Hebr. 5. v. 12. &c.) etiam hinc patet, quòd norma non ſit ſola Apodixis; ſed etiam Dialectica, & præcipuè Rhetorica. Hæc enim, imperitum præſupponit auditorem, & judicem.

Nihilominùs verum eſt ſuo modo, quod addit iſte: *Si ad ea, quæ in Scripturis legis, quæ in creaturis conſpicis, quæ in te ipſo ſentis*, (nō tria hæc ſunt principia demonſtrationum; ſed duo tantùm, ut ipſe mox agnoſcet: Scriptura, & Vires innatæ: Revelatio divina, & Ratio humana,

mana, ex ſenſibus orta; ſive eorũ quæ in nobis, ſive quæ extra nos ſunt) *placidè & cum religione* (quid verò iſta ad normam?) *demonſtrationem adhibeas: fieri non poteſt, ut à vero aberres.* Demonſtratio enim non fallit. At non omnia, quæ in Scripturis leguntur, demonſtrationem requirunt: quia multa ſenſu cognoſcuntur. imò nulla demonſtrantur: quia ſunt principia apud Chriſtianos, quæcunq; ibi leguntur. Eadem eſt ratio eorum, *quæ vel in creaturis conſpiciuntur, vel in nobis-ipſis ſentiuntur.*

Quòd-ſi autem tria diſtincta velit eſſe principia iſta; tũ falſum eſt quod ſubjungit: *Extra te quò te ducam, non habeo; niſi ad Scripturas, & priſcam antiquitatem.* Extra nos enim ſunt quoq; creaturæ: quæ cõſpiciũtur virib. nobis innatis, corporis & mentis. Hanc normã ipſamet Scriptura cõfirmat: non itèm *priſcã antiquitatem*, aut *primæ Eccleſiæ, poſt Apoſtolos, cõſenſum* ſinè verbo Dei. Quicquid enim Eccleſiæ, ſive priſcæ, ſive nõ-priſcę, in divinis eſt fidei; id illi eſt pro-

propter ſacram Scripturam,quã profert. Unde præclarè Auguſtinus, Epiſt.19. *Ego ſolis eis Scripturarum libris, qui Canonici jam appellantur,didici hunc timorem honoremq; deferre;ut,nullum eorum authorem ſcribendò aliquid errâſſe, firmiſſimè credam. Alios autem ità lego; ut, quantâlibet ſanctitate doctrinâq; præpolleat, nõ ideò verum putem, quia ità ipſi ſenſerunt: ſed quia mihi, vel per illos authores canonicos, vel ratione probabili, perſuadere potuerunt.*

Quos verò alios intelligat, ipſe alibi explicat: vid. *Cyprianum, Hilariũ, &c.* Epiſt.48. *Ambroſium, Hieronymum, &c.* Epiſt.112. imò ipſa etiam *Concilia*. lib. de Unitate Eccleſiæ, contra Petiliani Donatiſtæ Epiſt.cap.16. ubi inquit: *U-
trùm ipſi Eccleſiam teneant, nõ niſi Scriptu- »
rarum canonicis libris oſtendant. Quia nec »
nos propterea dicimus credere oportere, quòd »
in Eccleſiâ Chriſti ſumus; quia ipſam, quam »
tenemus, commẽdavit Optatus, vel Ambro- »
ſius: aut quia noſtrorum collegarum conciliis »
ipſa prædicata eſt: aut quia tanta fiunt in eâ »
mirabilia. Non ideò ipſa manifeſtatur ca- »
tholica; quia hæc in eâ fiunt. Ipſe Dominus »*

Jeſus,

„ *Jeſus, diſcipulos teſtimoniis Legis & Prophe-*
„ *tarum confirmandos eſſe, magis judicavit.*
„ *Hæc ſunt cauſæ noſtræ documenta; hæc fun-*
„ *damenta; hæc firmamenta.* De conſilio autem ſuo, quo aliorum producat omnium, veterum præſertim, conſenſum, clariſſimè teſtatur idem, lib. 3. de Peccatorũ meritis & remiſſione, cap.
„ 7. *Hæc* (teſtimonia Cypriani & Hiero-
„ nymi, pro peccato originali) *non ideò*
„ *commemoravi, quòd diſputatorũ quorũlibet*
„ *ſententiis, tanquam canonicâ authoritate,*
„ *nitamur: ſed ut appareat, ab initio usq; ad*
„ *præſens tempus, quo novitas iſta orta eſt, hoc*
„ *apud Eccleſiæ fidem tantâ conſtantiâ cuſto-*
„ *ditum. &c.*

Non igitur conſenſus antiquitatis dat; ſed *cuſtodit* veritatem cœleſtem. Neque enim ideò verum aliquid eſt, quia ab initio creditum; ſed quia, poſt confirmationem ex Dei verbo, cuſtoditũ fuit: alioqui regula veritatis cœleſtis, non foret ſolum verbum Dei. quod tamen eſt, etiam ipſi Vincentio Lirinenſi, verbis pro iſto conſenſu allegatis à principio: *Hæc fuit ſemper, &*

eſt hodieq́;, Catholicorum conſuetudo; ut fidem veram duobus his approbent modis: primùm divini Canonis authoritate; deinde Eccleſiæ catholicæ traditione. (illo nimirum modo, πρώτως, iſto autem, δευτέρως καὶ ἑπομένως. Quare addit ipſe:) *Non, quia Canon ſolus non ſibi ad univerſa ſufficiat: ſed, quia verba divina pro ſuo plerią; arbitratu interpretantes, varias opiniones erroresq́; concipiant; atq; ideò neceſſe ſit, ut ad unam Eccleſiaſtici ſenſus Scripturæ cœleſtis intelligentia dirigatur, in his* (*duntaxat*; neq; in aliis) *præcipuè quæſtionibus, quibus totius Catholici dogmatis fundamenta nituntur.*

Ità hæc exſtant, in recapitulatione Commonitorii, cap. 41. Clariùs autem proponuntur à principio ejusdem, cap. 1. & 2. hisce verbis: *Sæpe magno ſtudio, & ſummâ attentione, perquirēs à quamplurimis ſanctitate & doctrinâ viris præſtantibus; quónam modo poſſim certâ quâdam, & quaſi generali ac regulari viâ, Catholicæ fidei veritatem, ab hæreticæ pravitatis falſitate diſcernere: hujusmodi ſemper reſponſum ab omnibus ferè retuli: Quòd, ſive ego, ſive quis alius vellet, exſurgentium hæreti-*

,, *hæreticorum fraudes deprehēdere, laqueosq́;*
,, *vitare, & in fide ſanâ ſanus atq; integer per-*
,, *manere; duplici modo munire fidem ſuam,*
,, *Domino adjuvante, deberet: primò ſcilicet,*
,, *divinæ Legis authoritate; tum deinde, Eccle-*
,, *ſiæ catholicæ traditione. Hîc forſan requirat*
,, *aliquis: Cùm ſit perfectus Scripturarum ca-*
,, *non, ſibiq; ad omnia ſatis ſuperq; ſufficiat;*
,, *quid opus eſt, ut ei Eccleſiaſticæ intelligentiæ*
,, *jungatur authoritas? Quia videlicet Scri-*
,, *pturam ſacram, pro ipſâ ſuâ altitudine, non*
,, *uno eodemq; ſenſu univerſi accipiunt; ſed e-*
,, *jusdem eloquia aliter atq; aliter, alius atq; a-*
,, *lius, interpretatur: ut penè, quot homines*
,, *ſunt, tot illîc ſententiæ erui poſſe videantur.*
,, *&c. Atq; iccirco multum neceſſe eſt, propter*
,, *tantos tam varii erroris anfractus; ut Pro-*
,, *pheticæ & Apoſtolicæ interpretationis linea,*
,, *ſecundùm Eccleſiaſtici & Catholici ſenſus*
,, *normam, dirigatur.* Quid autem hoc eſt
aliud; quàm, non ſimpliciter, ſed ſe-
,, cundùm quid tantùm: *propter erroneas*
,, *interpretationes aliorum*, primò ex Dei
verbo convictas? Namq;, ſi ſimplici-
ter: manifeſtè ſecum pugnaret Vincē-
,, tius. Quomodo enim *Canon ſolus ſibi*
ſuffi-

ſufficeret ad univerſa: ſi aliter, quàm propter erroneas illas aliorum interpretationes, ſufficienter jam ex ſolo illo canone refutatas, quaſi ex abundanti, & per ſe invalido modo, dirigeremus ſcripturæ cœleſtis intelligentiam, ad Eccleſiaſtici ſenſus regulam?

Eadem eſt ratio eorum, quæ ſubjicit Bertius, quaſi continuata prioribus; quæ tamen leguntur cap. 38. *Divinum canonẽ* (h.e. ſenſum ejus, in de probatum) *oportet ſecundùm univerſitatis Eccleſiæ traditiones, & juxta Catholici dogmatis regulam, interpretari: inq; rebus divinis neceſſe eſt, Catholicæ Apoſtolicæq; Eccleſiæ ſequamur univerſitatem, antiquitatem, conſenſionem.* Ipſemet enim ſubjicit caſus, ubi ſic oporteat: videlicet, *ut, ſi pars cõtra univerſitatem; novitas contra vetuſtatem; unius vel paucorum errantium diſſenſio, contra omnium, vel certè multò plurium Catholicorum, conſenſionem*, (nempe ex Dei verbo priùs ſtabilitam) *rebellaverit: præferamus partis corruptioni* (jam ex Dei verbo cognitæ) *univerſitatis integritatem; inq; eâdem univerſitate, novita-*

tis profanitati, (non niſi ex Dei verbo notæ) *antiquitatis religionem*. Secùs, falſum foret, quod idem antè dixit: *Fidem veram primò divini Canonis authoritate probari; tum deinde Eccleſiæ catholicæ traditione*. Itèm, *quòd Canon ſolus ſibi ſufficiat ad univerſa.*

Caſus iſti magis intelliguntur ex antecedentibus, objectionem continentibus, cui per dicta reſpondetur. Objectio eſt: *Sed dicet aliquis: Si divinis eloquiis, ſententiis, promiſsionibus, & Diabolus, & diſcipuli ejus utũtur; quorum alii ſunt Pſeudoapoſtoli, & Pſeudoprophetæ, & Pſeudomagiſtri, & omnes ex toto Hæretici: quid facient Catholici homines, & matris Eccleſiæ filii? quónam modo in Scripturis ſanctis, veritatem à falſitate diſcernent?* Reſpondetur: *Hoc ſcilicet facere magnopere curabũt, quod in principio Commonitorii iſtius, ſanctos & doctos viros nobis tradidiſſe, ſcripſimus: ut divinũ Canonem ſecundùm univerſitatis Eccleſiæ traditiones, & juxta Catholici dogmatis regulam, interpretentur, &c.*

Novitas interpretationis, eſt ſignũ falſitatis; quemadmodum antiquitas con-

conſtans, veritatis: non tamen neceſſarium, neq; in omnibus valens. Quâ de re ipſe mox Vincentius reſtringit, capite ſequente: *Quæ tamen antiqua ſanctorum Patrum conſenſio, non in omnibus divinæ Legis quæſtiunculis, ſed ſolùm, certè præcipuè, in fidei regulâ, magno nobis ſtudio, & inveſtiganda eſt, & ſequenda. Sed neq; ſemper, neq; omnes hæreſes, hoc modo impugnandæ ſunt: ſed novitiæ recentesq;, cùm primùm exoriuntur, antequā infalſarūt vetuſtæ fidei regulas, ipſius temporis vetentur anguſtiis; ac priùs, quàm, manante latiùs veneno, majorum volumina vitiare conentur. Cæterùm dilatatæ & inveteratæ hæreſes, nequaquā hac viâ aggrediēdæ ſunt: eò quòd, prolixo temporum tractu, longa iis furandæ veritatis patuerit occaſio. Atque ideò, quaſcunque illas antiquiores, vel ſchiſmatum, vel hæreſium, profanitates, nullo modo nos oportet, niſi aut ſolâ, ſi opus eſt, Scripturarum authoritate convincere; aut certè jam antiquitus, univerſalibus Sacerdotum catholicorum* (utriusque partis confeſſione) *conciliis convictas damnataſq;, vitare.* Adjeci, utriusq; partis confeſſione. Niſi enim

Adverſarius, ipſe quoque fateatur; principium contra illum petitur.

In ipsâ antiquitate diverſitas eſt. Quod & Bertius monet, ex eodē Vincentio, capite præcedente: *Rurſus, in ipsâ vetuſtate, unius ſive pauciſsimorum temeritati, primùm omnium* (poſt verbum Dei) *generalia, ſi qua ſunt, Concilii univerſalis decreta præponant. Tunc deinde, ſi id minùs eſt; ſequātur, quod proximum eſt, multorum atq; magnorum conſentientes ſibi ſententias magiſtrorum. Quibus, adjuvante* (imò præeunte in verbo ſuo) *Domino, fideliter, ſobriè, ſolicitè obſervatis; non magnâ difficultate noxios quosque exſurgentiū hæreticorum deprehendemus errores*. Per ſe namque hæc non obligant, neq; ſunt, ut Bertius concludit, *amuleta*; neq; (ut Bellarminus, lib. 2. de Sacram. Euchar. in procemio, fruſtra contendit ex Auguſtino; qui lib. 3. de Pecc. merit. & remiſſ. cap. 7. id non dicit) *firmiſsimum indè colligitur, & infallibile argumentum pro veritate*: ſed tantùm probant, *ab initio usq; ad præſens tempus, quo novitas orta eſt, hoc apud Eccleſiæ fidē*, (ex Dei verbo probatam;

batam; uti & conſenſum in veritate) *tantâ conſtantiâ cuſtoditum.* &c. ut loquitur Auguſtinus.

Quare malè fecit & dixit Bertius: *Hoc ego conſilio ſubjeci paucula,* (quanquàm nobis æquè confeſſa) *ex infinitis, Scripturarum, Conciliorum, Patrum teſtimonia; quibus pro amuleto adverſus graſſantes errores uti poſſis.* Amuletum enim contra errores, verè eſt Scriptura ſola: cætera, tantùm propter ipſam. Illâ continetur *apodixis:* etſi non ità καθόλȣ, ut tradidit Ariſtoteles in Poſterioribus. Analyticis; ſed *ſpiritûs* tantùm. ”
1 Corint. 2. v. 4. Par ſiquidem eſt, ut ἴδια ἰδίαις, ideoque πνευματικὰ πνευματικῶς, dijudicentur: 1. Cor. 2. v. 13. eò quòd aliter nō poſſint. v. 14. Num etiam Patres, & Concilia, *demonſtrationem ſpiritûs* pa- ”
riunt? Nequaquam: ſed inſtar lactis ſunt, quo infantes indigent. *Demon-* ”
ſtrationis autem *ſpiritûs*, uſus eſt *ad per-* ”
fectos tantùm. v. 6. ”

In hanc itaque ſententiam intelligi debent ultima iſta: *Tu iſtis, Lector, fruere, ad Dei gloriam, & tuam in veritate ac pie-*

tate, vel inſtitutionem, vel confirmationem. Neque enim *inſtitutio*, aut *confirmatio*, eſt tantùm apodictica; ſed etiam dialectica & rhetorica: pro captu vid. Auditorum; uti jam dictum ſæpiús.

Atq; hęc de duobus capitibus propoſitis. In quibus quia loquētiæ multum, ſapientiæ parum, eluxit: quis nō judicet ſapientum, atq; adeò ipſemet quoque Bertius, ſi ſapiet; veriſſimum eſſe, & in ſeipſum ſuaque ſcripta, ab ipſo dictū: *Prout quisq; verboſiſſimus aut clamoſiſſimus eſt; ità vulgò creditur doctiſſimus, & veritatis certiſſimus author.* Id autum vulgi judicium, tantum ſæpe abeſt à veritate; quantum diſtat vulgus à ſapientibus: quorum exiguus eſt numerus, reſpectu multitudinis illius. Proinde ſibi quoque dictum putet Apoſtoli illud: *Docens alium, te-ipſum non doces?* Rom. 2. v. 21. Et Chriſti iſtud: *Ejice primùm trabem ex oculo tuo: & tunc diſpice, quomodo ejicias feſtucam ex oculo fratris tui.* Matth. 7. v. 5.

Μόνῳ τῷ Θεῷ δόξα.

Aφl
1454791

Digitized by Google

BIBL
V
X